
De Luciano Libelli: Qui Inscribitur
Knaut. Lucius sive asinus auctore


1837
ARTES
SCIENTIA
VERITAS
LIBRARY
OF THE
UNIVERSITY OF MICHIGAN
TUEBOR
SI QUÆRIS PENINSULAM AMŒNAM
CIRCUMSPICE

DE

LUCIANO LIBELLI QUI INSCRIBITUR LUCIUS SIVE ASINUS AUCTORE.

DISSERTATIO
INAUGURALIS PHILOLOGA

QUAM SCRIPSIT

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

EX AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

ALMAE UNIVERSITATIS LITTERARUM LIPSIENSIS

CAPESSENDOS

CAR. FRID. ERN. KNAUT

SAXO-BORUSSUS.

LIPSIAE

TYPIS A. EDELMANNI, TYPOGR. ACAD.

1868.



Facile inter omnes conveniet, si singulorum scriptorum vel orationem cognoscere vel ingenium perspicere velimus, ante omnia id agendum esse, ut accuratissime ei libri, qui sine ullo dubio genuini sint habendi, a subditiciis secernantur. Itaque iam apud veteres Callimachus, Aristophanes, alii, homines illi docti Alexandrini, qui scriptorum aut eruditione aut sapientia ceteris antecellentium nomina et opera in tabulas rettulerunt, summa diligentia et, si qua inerat, arte critica diiudicare studuerunt, cui auctori scriptum quodque esset tribuendum. Neque postea cum Byzantinorum imperio dilapso ultimoque Graecarum litterarum refugio everso in Italia aliisque Occidentis terris artes ingenuae reviviscere brevique tempore incredibile quantum incrementi capere coepissent, unquam viri defuerunt, qui de eadem re diligentissime disceptationes instituerent. Sed quamquam illorum hominum sagacitate et doctrina multas res dubias ad certum eventum productas esse inter omnes constat, tanta tamen adhuc de permultis libris dissensio extat, ut fere nihil animum paullulum litteris imbutum aeque ad inquirendum invitet. Etenim, ut omittam quae de Homeri, Hesiodi, aliorumve carminibus et scriptis etiamnunc sententiae in medio positae sunt, Platonem et Lucianum nomino, a quibus hoc ipso tempore nonnulli viri doctissimi magnum librorum numerum abiudicandum esse censuerunt. Ut autem ex libris, quibus ex codicum auctoritate illorum auctorum nomen inscribitur, nonnullos a scriptoris ingenio et dicendi ratione abhorrere ideoque pro spuriis habendos esse omnes facile concesserint: ita, opinor, multi incognita causa eis adsentiri dubitaverint, qui tertiam fere operum partem subditiciam esse

censeant; — me ne summa quidem Im. Bekkeri, praecipue in litteris Graecis, auctoritas prohibere potuit, quo minus eas anquirerem causas, quibus permotus vir omnium fere consensu eruditissimus tot (29) libros Luciani nomine indignos esse arbitraretur. Et quoniam in litteris nihil magis perniciosum mihi videtur, quam „iurare in verba magistri", opinionem meam, quamvis a Bekkeri sententia recedat, libere proferre et pro viribus probare ausim, sperans ab eis viris veniam me impetraturum, quorum in hac re valet auctoritas.

In Luciani librorum numero, de quibus iam saepe ac diu disputatum est, ea quoque fabula reperitur, quae inscribitur Lucius sive asinus; quam quidem alii, ut Photius, Wieland, Teuffel, Sommerbrodt, cum moribus ac ratione Luciani plane congruere confirmabant, alii, ut Tanaq. Faber [1]), Courier, Jacobitz, Bekker ab auctore illo elegantissimo compositam esse prorsus negabant.

Neque tamen quisquam excepto uno Courierio (in editione Paris. 1818. et in praefatione libri qui inscriptus est: l'âne de Lucius de Patras Paris. 1822.) causas, cur ita iudicaverit, aut nobis proponit aut comprobare studet; sed si qui accuratius de hac re disserebant, ut Manso, Teuffel, Wieland, id tantum operam dabant, ut nobis exponerent, quae necessitudo intercederet inter Luciani libellum et Lucii Patrensis metamorphoseon libros. Ac profecto! priusquam ad eam quaestionem accedamus, utrum Lucianus sit fabulae illius auctor necne, eo declinare opus est disputationem nostram, ut explicare conemur, quisnam sit antiquissimus ex tribus illis Luciani, Lucii, Appuleii libris, quos eiusdem argumenti narrationem continuisse scimus. Sed hac de re infra nobis dicendum erit, iam commune fabularum argumentum paucis exponere mihi liceat.

Lucius igitur, iuvenis Patrensis in Thessaliam profectus Hypatis ab Hipparcho (Milone App.) hospitaliter est receptus. Ubi cum a Palaestra (Fotide), hospitis serva, qua intime erat usus, dominam in avem se conversuram esse audisset, petiit, ut sibi liceret videre, quomodo id fieret. Quo facto tanta artis

---

[1]) Phaedri fabulae, edid. Tan. Faber Salmurii 1673 p. 173: „In eo numero fuit Alcyon, qui hodie inter Luciani opera legitur, licet Luciani non magis sit, quam fabulosa illa de asino narratio, quod ego *πᾶσιν οἷς περ βουλομένοις ἴσται* probare possum."

magicae cognoscendae cupiditate est inflammatus, ut Palaestram orare et obsecrare non prius desineret, quam prodigii illius in se ipso exercendi facultas daretur. Neque tamen unguento, quo mulier sese transformaverat, unctus in avem est mutatus, sed in asinum, cuius habuit et vocem et formam servata tantum mente humana. Sed cum Palaestra ubi illucesceret se rosas adlaturam esse promisisset, quibus comesis in humanam formam rediturus esset, Lucius animo ad laetam spem erecto in stabulum abiit (Lucian. cap. 1—14). Haec autem spes eum fefellit. Nam noctu latrones Hipparchi domo expugnata et expilata jumenta, in quibus Lucium, praedis onusta abigunt ad speluncam, quae eis erat refugio. Tum Lucius, qui in ipso itinere capitis periculum aegre effugerat, varios casus est perpessus. Cum enim raptam virginem praeclarae formae, cui nomen erat Charite, avehere conatus, a praedonibus deprehensus et foedissimae morti addictus esset, destinato jam exitii tempore, militum adventu, qui virginem liberaverunt, est conservatus. Quin etiam Charite, ut gratias ei referret, hordei et foeni magnam copiam cotidie adesse et in praedium eum deduci iussit; ubi in pratis libertate frueretur. Neque vero asinus beneficiis, quibus voluit domina, ibi est adfectus; sed in summa mala incidit, nam equisonis coniux molae eum subiunxit et „puer impurus“ cui custodiendus erat traditus, summis cruciatibus adfecit (Luc. 15—33.). Jamque equisones pueri mendaciis permoti virilitatem ei adempturi erant, cum omnes, qui in illo praedio fuerant, accepto nuntio, Chariten eiusque coniugem mortem obisse, e regione abire et quod cuique fors obtulit rapere et secum ferre coeperunt. Itaque etiam asinum abducunt et Beroeae, quod est Macedoniae oppidum, „uni de triviali popularium faece vendunt, qui per plateas et oppida deam Syriam circumferentes mendicare compellunt.“ Etiam apud hunc eiusque socios non modo flagellis ad mortem paene confectus, sed etiam in summum vitae discrimen est adductus, cum viri cuiusdam ditissimi coquus, veritus ne ob cervi (ὄνου ἀγρίου Lucian.) femur pinguissimum amissum a domino puniretur, Lucium necare et cenantibus adponere statuisset (Luc. 34—41.). Quod periculum postquam consilio et astutia effugit dominis furti et sacrilegii convictis a pistore emitur, qui eum nimiis et insolitis laboribus ad maciem reductum paullo post hortulano vendidit (Luc. 42—43.). Isque cum militem super-

m, a quo vexatus erat, adrepto gladio male mulcasset, ab amico absconditus, proditus est asini curiositate. (44—45.) Deinde Lucius apud duos fratres, quorum uterque multa cupedia de Meneclis domini cena domum asportabat, vitam degit iucundissimam. Et postquam patefactum est, asinum hominum cibos devorare, fratrum dominus, eiusmodi rebus admodum delectatus, ad cenam eum adhibuit et liberto cuidam varias artes docendum tradidit. (Lucian. 46—50.) Neque vero quidquam Meneclis animum tam oblectavit, quam quod audierat, asinum libidinosae mulieris voluptatibus satisfecisse. .Itaque palam hoc singulare spectaculum in conventu frequentissimo multorum oculis praeberi et Lucium cum femina quadam capitis damnata in theatro misceri voluit. Ubi cum iam in lecto positus esset, asinus hominem rosas portantem adspexit statimque delapsus de cubili eis vescitur. Tali modo hominis formam recepit et Patras in patriam suam rediit. (Luc. 51—56.)

Quodsi de libello aliquo disputatio instituitur, utrum genuinus sit necne, summa cura inquirendum videtur, quaenam veterum scriptorum aut Byzantinorum hominum testimonia extent. Sed cum nemo, cui momenti aliquid tribuere possimus, asini mentionem fecerit, — excepto uno Photio, de quo postea disseremus — videndum nobis est, invenianturne in ipsa fabula indicia, quae in quaestione diiudicanda nos adiuvare possint. Primo autem loco eae res mihi respiciendae videntur, quae ad vitam sive publicam sive privatam pertinent; nam ex his intelligitur, quo tempore, ex aliis perspicitur, a quo auctore libellus sit compositus. Atque equidem non video, cur eorum locorum natura, ubi aut institutorum publicorum aut rerum privatarum mentio est facta, vetemur aut prohibeamur, quominus Luciani aetate libellum compositum esse arbitremur. Quamquam loci perpauci inveniuntur, in quibus inest morum institutorumque tam accurata et certa significatio, ut lucis nobis aliquid effulgeat ad auctoris sive vitam sive aetatem definiendam. Sed ut singula proferam, quae in ipsa narratione notatu digna mihi visa sint, ad tempus definiendum aliquantulum valere existimo: primum quod Thessalonica Macedoniae urbs nobilissima fuisse dicitur, deinde quod in hac urbe provinciae praeses ius reddidit, tum quod eo tempore lege sancitum esse videtur, ut homines magi et malefici vivi comburerentur. (cap. 54.) Nam ex titulo et nomine magistratus illius, cuius

opera Lucius a volgi accusationibus et minis est defensus, certi quidquam concludi non potest de libelli auctore et origine. Is enim nominatur aut ἄρχων (bis in cap. 55.) aut ἄρχων τῆς ἐπαρχίας (cap. 54.) aut δικαστής (cap. 55.); — quibus nominibus omne magistratuum genus appellari posse nemo negabit. Erat autem Macedonia in earum provinciarum numero, quas Augustus, cum partem sibi ipsi partem senatui populoque Romano administrandam addiceret, senatui curandas tradidit. Neque postea, cum Tiberius Achaiam et Macedoniam provincias onera deprecantes, ad principis curam transtulisset (Tacit. annal. C. 76.) Macedonia in mutata condicione diu perstitit, (a. p. Chr. n. 25—44.), cum post paucos annos Imper. Claudius utramque provinciam populo redderet[1]). Et quoniam omnes provincias senatui commissas proconsulares appellatas esse constat, quamvis Asia et Africa solae viris consularibus contingerent, Macedoniae praeses, si proprio nomine vocabatur, graece appellandus erat ἀνθύπατος (proconsul.). Sed ei, qui legati Caesaris in provincias a principe missi erant, aut legati pro praetore (πρεσβευτὴς καὶ ἀντιστράτηγος) aut consulares (ὑπατικός) aut propraetores praetoresve (ἀντιστράτηγος, στρατηγός) dicendi erant. Itaque si vero ac proprio nomine in hac fabula auctor usus esset, haud scio an intelligere possemus, utrum compositus esset libellus, cum Macedoniam provinciam princeps administraret an alio tempore. Illa vero nomina, quae sunt ἄρχων et δικαστής, significationem tam amplam habent, ut in quaestione diiudicanda nos adiuvare nequeant. In voce enim, quae est ἄρχων, eadem fere vis mihi inesse videtur atque in Latinorum praeside[2]), quo nomine per complura saecula „et proconsules et legati Caesaris et omnes provincias regentes, licet senatores essent, appellabantur“[3]). Sed postea cum Vopiscus, Lampridius, alii historiam Augustam conscriberent, vocabuli vis ita est imminuta, ut plerumque praesides ei dicerentur, qui procinciae partibus non ita magnis praefecti erant. Ac ne forte credas voce, quae est ἄρχων, raro usos esse scriptores Graecos in magistratibus appellandis, pauca proferre

---

[1]) Sueton. vita Claud. 25.

[2]) cf. Bergmann, de Asiae Romanorum provinciae praesidibus. Philol. II. p. 641. adnot. 1

[3]) Macer ad digest. I. 18.

-i liceat ex Spanhemii de usu et praestantia numismatum disputationibus (Vol. I. p. 692. Lips. 1706.), qui de hac ipsa re haece disserit: „Quomodo itidem factum, ut ἄρχοντες subinde dicti sint a Graecis auctoribus non patrii quidem loci magistratus, sed ipsi Romani provinciarum pop. Rom. rectores, qui alias legati propraetores (ἀνθύπατοι aut ἀντιστράτηγοι) aut πρεσβευταί vel ἡγεμόνες proprio ad id genus officii nomine dicebantur." Deinde Asiae proconsulem et Graeciae praetorem eodem archontis nomine a Philostrato Aelioque Aristide non semel appellatos esse exemplis ostendit vir doctissimus [1]). Dionis quoque Cassii locos collegit Letronne [2]), ex quibus Aegypti praefectum nonnunquam a scriptore illo Graeco dictum esse archontem facile cognosces. — Itaque in hoc ipso nomine adeo offendere non possumus, ut asini fabellam compositam esse negemus Luciani aetate, qua etiam a Philostrato et Dione proconsulem archonta dictum esse novimus.

Venio nunc ad ea inquirenda et consideranda, quae de Thessalonica urbe in libello legimus. Qua in re primum mentione dignum mihi videtur, quod Thessalonica omnia Macedoniae oppida magnitudine superare dicitur (cap. 46. πόλις τῶν ἐν Μακεδονίᾳ μεγίστη). Haec igitur urbs a Cassandro condita brevi ad tantem magnitudinem et dignitatem pervenit, ut iam Antipater, poeta Thessalonicensis „sub Christi natalia", patriam summis laudibus extolleret, ut matrem Macedoniae (μήτηρ τῆς Μακεδονίας Anthol. p. II., p. 98. epigr. 14.). „Quo nomine magis opulentiam eius, quam dignitatem vere civilem ac politicam significari" rectissime admonet Tafel in prolegg. ad dissertationem geograph. de Thessalonica eiusque agro (Berol. 1839) p. XL. Nam honestum metropoleos nomen, quo urbem in inscriptionibus et nummis saepius ornatam videmus, in Antipatri verbis inesse non potest, cum ante tertium Christi saeculum in Thessalonicensium monumentis nobis non occurrat [3]). Quare poeta ille Graecus nihil aliud respexisse est putandus, nisi urbis magnitudinem et hominum multitudinem. Neque

---

[1]) Spanhem. l. c. p. 663. Aristid. sermon. sacr. III. p. 562; V. p. 615. Philostrat. Vit. Apollon. VIII. c. 10. p. 132 ed. Kayser. Vit. sophist. ed. Kayser p. 255.

[2]) In libro, qui inscribitur „récherches pour servir à l'histoire de l'Egypte" p. 267.

[3]) Tafel, l. c. p. XL.

Antipatrum furore poetico incitatum aut patriae studio incensum urbis claritudinem verbis auxisse dixerim, cum eodem fere tempore etiam Strabo Thessalonicam inter Macedoniae urbes maxime incolarum multitudine abundare profiteatur (VII, 7, 4. *Θετταλονίκεια, Μακεδονική πόλις, ἣ νῦν μάλιστα τῶν ἄλλων εὐανδρεῖ*). Itaque iam centum annis ante Lucianum natum urbem illam aeque a scriptoribus propter magnitudinem videmus laudatam esse atque in fabula, de qua agimus. Sed quid mirum? Nonne iam belli civilis temporibus Caesaris adversariis Thessalonica digna est visa, in qua optimatum senatus sedem haberet? Iam vero nonne ipsius urbis situs et natura fuerunt eiusmodi, ut non modo Macedoniae sed etiam maris adiacentis domina facile existeret? Sed iam longus fuisse mihi videor in rebus exploratis; videamus igitur, quo tempore Macedoniae praeses Thessalonicae sedem habuerit. Neque haec quaestio est negligenda, cum in libello, de quo agimus, Lucius ab illo magistratu (*ἄρχων τῆς ἐπαρχίας*) domum deductus esse dicatur. At cave ne temere speres hac re diiudicata facile totam disceptationem dissolutum iri. Nam per tot saeculorum spatium Thessalonicam caput provinciae aut partis provinciae fuisse videmus, ut certi quidquam concludere nequeamus. Etenim, ut altius repetam, Macedonum regnum, cum Perseo devicto Romani res componerent, libertatis specie non adempta in quattuor partes est divisum et Thessalonica secundae regionis caput est factum. Atque postea, cum seditione repressa universa Macedonia in provinciae formam redacta esset, vir praetorius, cui sorte eveniebat haec, in Thessalonicensium urbe domicilium habebat, in qua etiam post provinciarum divisionem ab Augusto factam proconsules habitare solebant [1]). Quid? quod Diocletiani et Constantini aetate ab eis, qui imperii Romani terras denuo in provincias diviserunt, Thessalonica melioris et maioris ex duabus Macedoniae partibus caput est constitutum [2]). Itaque ne haec quidem res — quod provinciae praesidem in illa civitate sedem habuisse scimus — multum valet ad quaestionem diiudicandam. At in alia re offendimus, quod proconsul Thessalonicae, quam liberam

---

[1]) Becker, antiquit. Rom. III, 1, 115.

[2]) cf. notitia dignitatum edid. Boecking, Bonn 1839. Vol. I. p. 243.

civitatem fuisse scimus[1]), ius reddidit. Illa enim verba: *ἀπολύει με δημοσίᾳ ὁ ἄρχων* (in extr. cap. 55), num aliam vim habere possunt nisi eam, ut praeses Macedoniae Lucium maleficii crimine liberasse dicatur? Nonne medio verbo auctor uti debuit, si a magistratu illo pop. Rom. hospitem e servitute Meneclis pretio redemptum esse narrare voluit? Quae cum ita sint, nonne Lucii causa apud urbis ipsius magistratus agenda erat e legibus patriis? Mihi quidem Dirksen[2]) optime de hac re disputasse videtur, qui, ut omittam alios, adfert Ciceronis testimonium, contra legis senatusque consulta fieri dicentis (orat. de provinc. consul. 3.), si in libera civitate proconsul iurisdictione utatur. Neque tamen haec verba ita intelligere possumus, ut in urbe libera nullo magistratus munere functum esse arbitremur provinciae praesidem, quem ibi et habitasse et conventus egisse testes sunt loci a Beckero (antiq. Rom. III, I, p. 124, p. 167 adnot. 1134.) adlati. Itaque etiam Thessalonicae Macedoniae proconsul sedem habebat, sed ad ipsius urbis res et iura eius potestas nihil pertinebat. Neque vero haec libertatis privilegia omni tempore integra manserunt maximeque in eis civitatibus, ubi provinciae rector domicilium collocaverat. Nam postquam universus terrarum orbis unius hominis voluntati parere coepit, illae quoque civitates neque pristina commoda servare neque suis legibus etiamtum uti poterant, cum vel proconsul vel alii magistratus earum iura saepe violarent. Itaque factum est, ut oppida, quae liberae condicionis erant, iam Traiani tempore eo obsequii devenirent, ut libertatis umbram et nomen vix retinerent[3]). Magistratus autem Thessalonicenses appellati erant politarchae, de quorum numero Tafel (p. XXX) et Boeckh[4]) iam consentiunt antea discrepantes. Cuius magistratus in novo quoque testamento mentio est facta, cum Thessalonicenses Iasonem, a quo Paulum

---

[1]) cf. Becker, ant. Rom. III, 1, p. 118. Mannert, geogr. Gr. et Rom. VII, p. 472. Tafel, p. XXVIII., qui ab Octaviano Antonioque, victoria de Bruto reportata, urbem libertate donatam esse censet; Eckhel, in catalogo urbium liberarum, de doctrin. numism. veter. IV, 262. Plinius nat. hist. IV, 10, 17. „liberae condicionis est".

[2]) In libro qui inscriptus est: Versuche zur Kritik und Auslegung der Quellen des römischen Rechts p. 166 sqq.

[3]) Hoeck, hist, Rom. I, 2, p. 249; Becker. ant. R. III, 1, p. 255.

[4]) Corp. Inscr. II, p. 990. addend. ad num. 1967.

et Silam apostolos celatos esse putabant, ad politarchas traxisse Sct. Lucas nobis narraverit[1]). Videmus igitur civitatem Thessalonicensium circa annum p. Chr. n. quinquagesimum, cum Paulus eo venisset, suis legibus et institutis usam esse; eo autem tempore, quo Lucius in humanam formam ibi redisse fingitur, proconsulem — ita dicere mihi liceat — Romanum de re capitali iudicavisse. Et quoniam nihil esse video, cur fabulae auctori, qui Macedoniam et adiacentes regiones satis novisse videtur, fidem non habeamus, si quae de harum terrarum iure institutisque proferat: equidem libelli, de quo agimus, scriptorem eo tempore fuisse dixerim, cum aut Thessalonica libertatem nondum adepta esset, aut liberarum civitatum privilegia iam imminuta essent. Quodsi Tafel (p. XXIX) recte e nummis iudicavit, Thessalonicensium urbem ab Antonio et Octaviano libertate esse donatam, fabulam — nisi forte praesidis in iure dicendo rationem pro levi habendam esse arbitramur — aut ante Caesaris obitum aut post Neronis mortem compositam esse necesse est putemus. Sed ne ante bellum ab Antonio et Octaviano cum Bruto Cassioque gestum libelli auctorem vixisse censeamus, id nos prohibet, quod deae Syriae et nomen et cultum per Macedoniam pervolgatum fuisse ab eo edocemur. Haec enim dea Syria, sive Astarte intelligenda est, sive Derceto, sive ipsa magna dea[2]) ab auctoribus, qui ante Caesarem mortuum fuerunt, non est appellata eo nomine, quod in asino invenimus (cap. 35. θεὰ Συρία). Libellus igitur, de quo agimus, scriptus esse iure putatur eo tempore, cum deae Syriae cultus ex Asia in Graeciam et Macedoniam pervenisset et in his regionibus magnopere floreret: Hadriani autem et Antonini aetate hoc numen non modo a mulierculis superstitiosis, sed ab omnibus fere cuiusvis ordinis hominibus maxime esse cultum testis est Appuleius qui (in metamorph. libr. VIII) sacerdotum flagitia et incessum accuratissime describit. Et quoniam Appuleius et Lucianus aetate fere congruunt, etiam dea Syria in narratione saepius commemorata (in cap. 35—41.) nos vetare non potest, fabulam ab eo auctore scriptam esse iudicare, cuius nomen codicum auctoritate ei inscribitur. Illa

---

1) Act. apostol. XVII, 6.

2) cf Lucian. de dea Syria; Selden, de diis Syriis, p. 180 sqq. Amstelod. 1680.

autem foedissima superstitio, cum neque civium bona imminueret, neque vitam in discrimen adduceret, nullo Caesarum edicto nulloque senatusconsulto eo tempore prohibita esse videtur; sed magica ars, quae ad hominum vitam et fortunam pertinere putabatur, acerrime est vindicata. Nam ubi primum Lucius in theatro Thessalonicensi formam humanam recepit, volgi pars postulaverunt, ut comprehenderetur et ignis supplicio adficeretur; — unde intelligimus ea aetate in magos et veneficos ita animadversum esse. Quaerendum igitur videtur, quo tempore primum hac poena acerbissima ei adfecti sint. Sed de hac re certi quidquam statui nequit. Nam etsi omni tempore Romani eos persequi solebant, qui aut incantamentis aut veneficio damnum aliis intulissent, nulla tamen certa lege omne artis magicae aut veneficii genus erat prohibitum. Sed postquam Tiberius lege Cornelia (de sicariis) etiam omnes magos et mathematicos teneri edixit, saepissime homines hoc crimine accusati, quamquam veneno neminem interfecerant, capitis damnati sunt. Neque tamen omnes principes eadem severitate in hoc maleficium usi sunt; quin etiam nonnulli Chaldaeos et mathematicos adierunt, ut de rebus futuris certiores fierent. Atque de ipsa ignis poena in magos et veneficos inroganda, de qua certi quidquam non cognoscimus ante Caracallae aetatem, viri vel iuris peritissimi dissentiunt. Ulpianus enim illius supplicii mentionem non facit, ubi[1]) de poenis legis Corneliae haec fere dicit: „sed solent capite puniri nisi honestiore loco positi fuerint; humiliores enim solent vel bestiis subiici, altiores vero deportantur in insulam.“ Sed cum his verbis non plane convenit Pauli sententia, apud quem in sentent. libr. V, 23, 17. haec legimus[2]). „Magicae artis conscios summo supplicio adfici placuit, id est bestiis obiici aut cruci suffigi. Ipsi autem magici vivi exuruntur. § 18. Libros magicae artis apud se neminem habere licet, et si penes quoscunque reperti sint bonis ademptis ambustisque his publice in insulam deportantur, humiliores capite puniuntur.“ Quae num vere essent dicta, dubitavit Tollozanius, qui in dissertatione satis longa de maleficis et mathematicis scripta[3])

[1]) Digest. libr. 48 tit. 8.
[2]) Paul. sent. lib. V. edid. Arndts p. 175.
[3]) Lugduni Batav. 1736; — Oelrichs thesaur. dissert. iurid. III, p. 215 sqq.

se mirari dixit, quod magicae artis conscii summo bestiarum supplicio, magi ipsi leviore cremationis poena adficerentur. Alii autem viri docti, ut Rein[1]), in Pauli verbis nihil mutandum esse putaverunt. Neque tamen quisquam dignoscere potuit, utrum ipsa Caracallae aetate, qua Paulum fuisse constat, an multo antea esset lege sancitum, ut magi igne cremarentur. Itaque cum iam a Domitiano eos ad bestias damnatos esse sciamus, causam non video, cur ante Caracallam principem vivos eos exustos esse negemus. Quae cum ita sint ex eis, quae in asino de urbe Thessalonica, de proconsulis intercessione, de dea Syria, de veneficorum poena legimus, libelli auctorem fuisse apparet neque ante Domitianum Traianumve, qui liberarum civitatum iura imminuerint, neque post Imperr. Constantinum Constantiumve, qui paganorum sacra et superstitiones publice prohibuerint. Facile autem videbimus, nihil obstare, quominus fabulam Luciani aetate scriptam esse censeamus.

His exploratis transeamus ad necessitudinem exponendam, quae inter libelli auctorem et alios scriptores intercedit, qui eandem narrationem tradiderunt. Nam si ex fabularum comparatione cognoscamus, quam inter Luciani opera legi soleat, eam esse novissimam, facile accidere possit, ut aut temporum ordine prohibeamur, quominus ei tribuendam esse dicamus, aut ipsius Luciani ingenio. Neque enim est credibile, eum post Appuleium tale quidquam componere potuisse aut hominem illum eruditissimum et elegantissimum ex alienis hortis quasi flosculos collegisse integrosque in suos rettulisse.

Duo autem hodie quoque libri exstant, qui illam fabulam nobis tradunt, Luciani et Appuleii, virorum propemodum aequalium. Habemus deinde Photii (biblioth. cod. 129.) notitiam, qua Lucii Patrensis metamorphoseon libros complures, ex quibus duo Lucii in asinum conversi fortunas describerent, a se perlectos esse profitetur. Quem auctorem Patrensem, cum nullo alio loco eius fiat mentio, Wieland[2]) omnino fuisse negat, sed nomen ei et spiritum ex eo tantum esse natum arbitratur, quod iuvenis, qui fabulam narrans introducitur, sibi Lucio nomen patriamque esse Patras praedicet. Sed quoniam ad

---

[1]) Römisches Criminalrecht. p. 940 sqq.

[2]) In translat. oper. Lucian. tom. IV, p. 229; pag. 296 sqq.

quaestionem nobis propositam nihil pertinet, utrum Lucius sit auctor operis illius a Photio descripti annon, hoc loco, Wielandii opinionis ratione habita nulla, ante omnia id statuendum esse nobis videtur, sine ullo dubio Photii temporibus praeter Appuleii opus latine scriptum duos libros extitisse, quorum alter a Luciano, alter a Lucio Patrensi compositus esse putabatur. Sin quaerimus de ordine horum trium scriptorum, quid primum, quid postremum sit compositum, facillime demonstrabitur, Appuleium non esse eum auctorem, a quo alii argumentum fabulae acceperint. Etenim cum scriptor ille latinus res fere easdem eisdem verbis atque Lucianus et Lucius nonnusquam narret et ipse se fabulam graecanicam tradidisse dicat, (lib. I. p. 2. ut ego tibi sermone isto Milesio varias fabulas conseram I p. 11. fabulam graecanicam incipimus.[1]) quis est qui non intelligat, aut Lucii libros aut Luciani asinum fontem esse unde hauserit. Multo autem est difficilius, si diiudicare conamur, uter prius hanc rem tractaverit, Lucianus an Lucius, cum de altero nihil certi habeamus nisi quae pauca Photius memoriae prodidit. Atque haec quidem sunt verba patriarchae:

Photii biblioth. ed. Bekker I, 96.

Ἀνεγνώσθη Λουκίου Πατρέως μεταμορφώσεων λόγοι διάφοροι. ἔστι δὲ τὴν φράσιν σαφής τε καὶ φίλος γλυκύτητος· φεύγων δὲ τὴν ἐν λόγοις καινοτομίαν εἰς ὑπερβολὴν διώκει τὴν ἐν τοῖς διηγήμασι τερατείαν, καὶ ὡς ἄν τις εἴποι, ἄλλος ἐστὶ Λουκιανός. οἱ δὲ γε πρῶτοι αὐτοῦ δύο λόγοι μόνον οὐ μετεγράφησαν Λουκίῳ ἐκ τοῦ Λουκιανοῦ λόγου ὃς ἐπιγέγραπται Λοῦκις ἢ ὄνος ἢ ἐκ τῶν Λουκίου λόγων Λουκιανῷ. ἔοικε δὲ μᾶλλον ὁ Λουκιανὸς μεταγράφοντι ὅσον εἰκάζειν· τίς γάρ χρόνῳ πρεσβύτερος, οὔπω ἔχομεν γνῶναι. καὶ γὰρ ὥσπερ ἀπὸ πλάτους τῶν Λουκίου λόγων ὁ Λουκιανὸς ἀπολεπτύνας, καὶ περιελὼν ὅσα μὴ ἐδόκει αὐτῷ πρὸς τὸν οἰκεῖον χρήσιμα σκοπόν, αὐταῖς δὲ λέξεσι καὶ συντάξεσιν εἰς ἕνα τὰ λοιπὰ συναρμόσας λόγον, Λοῦκις ἢ ὄνος ἐπέγραψε τὸ ἐκεῖθεν ὑποσυληθέν. γέμει δὲ ὁ ἑκατέρου λόγος πλασμάτων μὲν μυθικῶν, ἀῤῥητοποιίας δὲ αἰσχρᾶς. πλὴν ὁ μὲν Λουκιανὸς σκώπτων καὶ διασύρων τὴν Ἑλληνικὴν δεισιδαιμονίαν, ὥςπερ κἀν τοῖς ἄλλοις, καὶ τοῦτον συνέταττεν· ὁ δὲ Λούκιος σπουδάζων τε καὶ πιστάς νομίζων τὰς ἐξ ἀνθρώπων εἰς ἀλλήλους μεταμορ-

[1]) Paginae sunt editionis Oudendorpii Lugduni Bat. 1786.

φύσεις τάς τε ἐξ ἀλόγων εἰς ἀνθρώπους καὶ ἀνάπαλιν, καὶ τὸν ἄλλον τῶν παλαιῶν μύθων ὕθλον καὶ φλήναφον, γραφῇ παρεδίδου ταῦτα καὶ συνύφαινεν.

Ex his apparet, Lucium fabulam, quippe quae apud eum duobus libris contineatur, copiosius enarravisse quam Lucianum, Appuleium autem utroque copiosius. Itaque Appuleius sive Lucii sive Luciani auctoritatem secutus, multa aut de suo aut de aliorum scriptis adiecit. Neque difficile plerumque ea, quae addidit homo Madaurensis secernuntur ab eis, quae a Graecis accepit. Tria enim praecipue additamentorum genera inveniuntur, quorum primum esse censeo fabulas satis longas, quas prorsus alienas a Lucii fortuna auctor inseruisse videtur, ut „rebus iucundis" lectorum animos delectaret. Quarum fabularum in numero habenda est lepidissima illa de Cupidinis et Psychae amoribus, quam narrans virgini raptae in praedonum spelunca temulenta anicula indroducitur, (lib. IV—VI) deinde longa de Charitae Tlepolemique morte narratio (lib. VII, init.), de fabri cuiusdam coniuge libidinosis voluptatibus dedita (lib. IX. p. 599) de Aretae et Philesietaeri adulterio (lib. IX p. 623.), de mulieris scelere Corinthi ad bestias damnatae (lib. X p. 722 sqq.) Atque ex verbis ipsis, quibus eiusmodi narrationes sese relaturum esse Appuleius indicat, facile intelligi potest, nihil eas ad reliquas operis partes pertinere; dicit enim plerumque hunc fere in modum: (lib. VIII p. 504.) Is de eius exitio et domus totius infortunio mira ac nefanda sic adnuntiabat; lib. IX p. 599.): devertimus ad quempiam pagum et cognoscimus lepidam de adulterio cuiusdam pauperis fabulam, quam vos etiam cognoscatis volo (X p. 679.): Ibidem designatum scelestum ac nefarium facinus memini. Sed ut vos etiam legatis ad librum profero: (X p. 122.): Eius paene talem cognoveram fabulam.

Deinde alterius generis eos locos esse censeo, qui, etsi paullo artius cum ipsius fabulae argumento coniuncti sunt, tamen propter verborum ubertatem et orationum copiam ab Appuleio, ut viro in rhetorum scholis et in causis agendis eximie versato, interpositi videntur. Est autem eius modi, ut alia omittam — mira de tribus utribus a Lucio trucidatis fabula, in qua et accusator et reus apud iudices verba faciunt satis multa et artificiosa. Cuius actionis forensis simillimum est iudicium illud de scelestae novercae flagitiis habitum, (X p.

679 v. 99.), ubi auctor se iuris esse peritissimum ostendit. Neque hoc loco omiserim commemorare, quantis ambagibus (in libris X et XI) Lucium Isidis beneficio in hominis formam rursus mutatum esse narret, et quanta diligentia non modo sacerdotis verba sed etiam vota ab asino Isidi facta litteris mandaverit.

Tertium denique genus tum statuendum videtur, si Appuleius magis ut ingenio suo indulgeat, quam ut narrationem producat, ad singulas res quasi depingendas digreditur, summa plerumque dicendi copia et adfectatione usus. Sic in libr. II p. 106—112 summis laudibus verbisque grandibus capillum extollit et in libr. II p. 91—95. tanta eloquentia et ubertate Dianae marmoreae pulchritudinem describit, ut ipse totus in laetitiam effusus esse videatur. Itaque Appuleius, ut brevi dicam, ubicunque vel eruditionis ostentandae vel intelligentiae iactandae occasio data est, ita in his rebus versatur, ut artium subtilem et callidum iudicem disserentem (ut ait Horatius Sat II 7, 101), non fabularum scriptorem narrantem audire te credideris. Quodsi putamus Appuleii propriam esse eam dicendi rationem, ut elegantiam sectatus in obscuritatem et tumorem incidat, non possumus non mirari, quod nonnullae operis partes ab hoc grandi orationis genere plane discrepent. Sunt enim loci satis multi, qui tam breviter et concise sunt compositi, ut non ab eodem sed ab alio auctore scripti esse videantur. Quid igitur? Si in his locis non Appuleium audimus? Si eas partes fere integras a Graecis esse desumptas demonstrare possumus? Haud difficile; comparetur Luciani libellus et hominem latinum nonnunquam, ubi ab illa verbositate discedat, nulla alia de causa ad novum dicendi genus descendisse videbimus, nisi quod Luciani verba in latinum sermonem transtulit. Quod ut probemus ex innumerabilibus haec pauca exempla adferre mihi liceat:

1) Lucian. 2. *ἔτυχε δὲ ἐν ἀρχῇ δείπνου ὤν καὶ κατέκειτο ἐπὶ κλινιδίου στενοῦ· γυνὴ δὲ αὐτοῦ καθῆστο πλησίον καὶ τράπεζα μηδὲν ἔχουσα παρέκειτο.*

Appul. I p. 69. Eum adcubantem exiguo admodum grabatulo et commodum cenare incipientem invenio. Adsidebat pedes uxor et mensa vacua posita.

2) Luc. 5. s. f. *καὶ ταῦτα λέγων πρὸς ἐμαυτὸν εἰσῄειν οἴκαδε. τὸν μὲν οὖν Ἵππαρχον οὐ κατέλαβον ἐν τῇ οἰκίᾳ οὐδὲ τὴν γυναῖκα.*

App. II p. 102. Haec mecum ipse disputans fores Milonis accedo. Nec tamen domi Milonem vel uxorem eius offendo.

3) Luc. 13. *ἐπεὶ δὲ κύκλῳ περιεσκόπουν αὐτὸν ἑώρων ὄνον, φωνὴν δὲ ἀνθρώπου ἐς τὸ μέμψασθαι τὴν Παλαιστραν οὐκέτι εἶχον· τὸ δὲ χεῖλος ἐκτείνας κάτω ὅση δύναμις ᾐτιώμην αὐτὴν κτλ.*

App. III. p. 220. Ac dum cuncta corporis mei considerans non avem me sed asinum video, quaerens de facto, sed iam humano gestu et voce privatus, quod solum poteram, postrema deiecta labia expostulabam etc.

4) Luci. 14. *σπεύσασα ἥμαρτον ἐν τῇ ὁμοιότητι τῶν πυξίδων. ἀλλὰ θάρρει· ῥάστη γὰρ ἡ τούτου θεραπεία. ῥόδα γὰρ μόνα εἰ φάγοις ἀποδύσῃ τὸ κτῆνος.*

App. III. p. 221. Me trepidatio simul et festinatio fefellit et pyxidum similitudo decepit. Sed bene, quod facilior huius reformationis medela suppeditat. Nam rosis tantum demorsicatis exibis asinum etc.

5) Luc. 43. *κἀκεῖνος οὐδὲ αὐτῷ στρῶμα εἶχεν ἀγοράσαι, οὐχ ὅπως ἐμοί· καὶ ἀνυπόδητος πηλὸν ὑγρὸν καὶ πάγον σκληρὸν καὶ ὀξὺν ἐπάτουν: καὶ φαγεῖν τοῦτο μόνον ἀμφοτέροις ἦν.*

App. IX p. 654. Dominus prae nimia paupertate ne sibi quidem, nedum mihi, potuit stramen aliquod parare. Ad hoc lutum nimis frigidum geluque praeacuta frusta nudis invadens pedibus enitebar . . . . et mihi et domino cena par ac similis aderat etc.

6) Lucian. 46. *τῇ δ' ὑστεραίᾳ τί μὲν ἔπαθεν ὁ κηπουρός ὁ ἐμός δεσπότης οὐκ οἶδα.*

App. X init. Die sequenti meus quidem dominus hortulanus quid egerit, nescio.

7. Atque adeo Luciani narratio (in cap. 47) respondet Appuleii verbis lib. X p. 706—707; — quod verum esse satis demonstrant huiusmodi exempla: *τὴν τύχην ὁρῶν ἁπαλόν μοι προσμειδιῶσαν.* — Mollius mihi renidentis fortunae contemplatus faciem. — *τὸ δὲ συμπόσιον ἐκλονεῖτο τῷ γέλωτι.*

Ap: convivium summo risu personabat. —

Quid? quod dicendi artificia, quibus utitur Lucianus, imitatum esse Appuleium ex hac locorum comparatione cognoscere licet? Luc. cap. 4. *μάγος καὶ μάχλος* App. II p. 97, maga primi nominis et omnis carminis magistra. Luc. 14. *τὸ κτῆνος ἀποδύσῃ τὸν δὲ ἐραστὴν ἀποδώσεις* App. III, p. 221.

exibis asinum, statimque in meum Luciam redibis. Luc. 46. ἐν φόβῳ καὶ φειδοῖ κλέπτων. App. X p. 703. satis parce subripiens pauciora. Accedit, quod haec cum Luciani verbis congruentia plerumque invenitur, si Appuleius sine ullo digressu eadem brevitate, qua auctor ille graecus, ad narrationem prosequendam properat. Atque tantum abest, ut hanc brevitatem Appuleio tribuamus, ut etiam hoc dicendi genus, quippe quod ab eius oratione prorsus abhorreat, cum verbis ipsis a Luciano desumptum esse censeamus. „At etiam nonnunquam non minus breviter et strictim res refert, quas a Luciano non esse petitas constat, cum apud hunc non inveniantur. Unde has mutuatus est Appuleius? Nonne ipse eas composuisse est putandus?" — Minime. Id fieri posse omnino negaverim, ut scriptor, qui et in oratione diffusa elegantiam positam esse arbitretur et excursibus inserendis causisque peragendis maxime delectetur, tantam breviloquentiam amplectatur, nisi forte magis alienam auctoritatem sequatur, quam suum ipsius ingenium. „At unde illa petiit?" A Lucio Patrensi, quem, quamvis opus eius ad hanc aetatem non pervenerit, non semel ab Appuleio compilatum esse demonstrabimus. Conquiramus ex Appuleii libris narrationis partes, quae neque aqud Lucianum inveniantur, neque tam incommode cum ipsa fabula coniunctae sint, quam tria, quae supra diximus, additamentorum genera. Quas si diligentius perlustrabimus, multas earum non esse compositas videbimus ab homine nimia verbositate excellente, sed ab eo, quem dictione pura et suavi usum esse testis est Photius.

Neque tamen negligendum est, quod de hac ipsa re Teuffel in Museo Rhenan. XIX p. 243. iudicavit. Is enim vir doctissimus omnia Appuleii additamenta in duas partes dividenda esse censet, quarum una ab auctore latino, ut varias narratiunculas conserat, ex aliis libris desumpta sit, altera cum ipsa fabula adeo sit coniuncta, ut ab ipso Appuleio inventa esse putanda sit. Atque equidem sic existimo, virum in his rebus diligentissime versatum facile nobis probaturum, quae de fabulis sine ulla arte insertis iudicaverit. Sed quam de altera additamentorum parte opinionem dixit, eam concepisse mihi videtur, quia Lucii libros ante Appuleium scriptos esse negat. At quoniam infra demonstrare conabimur, nihil obstare, quo minus Lucium ante Appuleium fuisse censeamus, hoc loco a Teuffelio nobis non persuaderi posse profitebimur, ab auctore illo graeco lati-

num nihil esse mutuatum. Quae opinio multo magis mihi confirmatur, quod Appuleius, ut Lucius, operi suo inscripsit: metamorphoseon libros. Hunc autem titulum, quem parum idoneum esse constat, cum rarissime transformationes enarrentur, num Appuleium putas operi suo inscripturum fuisse, nisi iam ipsi ab alio traditus esset; — equidem etiam nomen illud ex Lucii libris, quibus fortasse merito inditum erat, ab eo receptum esse existimo. Ex tribus enim nominibus, quae ab Appuleio operi inscripta esse censet Oudendorp, lib. I p. 2, not. verum esse mihi videtur: metamorphoseon libri. Id certe, quod ex Julio Capitolino adferri solet (ubi Severus ad senatum: cum ille naeniis quibusdam anilibus occupatus inter Milesias Punicas Appuleii sui et ludicra litteraria consenesceret) prorsus nihil valet, cum ex hoc loco non verus operis titulus intelligi, sed id tantum his verbis significari possit, Appuleium „semigaetulum illum ac seminumidam" fabulas Milesias ex Asia quasi in patriam suam intulisse. —

Age vero eos locos proferamus, qui quamquam apud Lucianum non extant, tamen ab Appuleio ficti et inventi esse non videntur propterea, quod et apte cum ipso narrationis argumento sunt conexi et brevitate differunt ab aliis auctoris latini additamentis. Deinde hos ipsos locos, quos a Lucio Patrensi petitos esse arbitramur, comparemus cum verbis et rebus, quae in Luciani libello inveniuntur, ut uter alterum compilaverit dignoscamus. Etenim aut a Luciano, quamvis apud Lucium eas invenisset, narrationis partes, de quibus iam dicimus, omissas esse, aut a Lucio breviorem Luciani fabulam exornatam esse opus est apparere. Atque haec quidem exempla maxime mihi digna videntur, quae in medio proponantur:

1) Apud Lucianum (cap. 1) Lucius cum comitibus in itinere de Hipparcho eiusque moribus colloquitur neque ulla magicarum superstitionum mentio invenitur. Quid? si in memoriam revocamus Photii de nimia Lucii superstitione iudicium, quod et Courierio (praefat. p. 12 sqq.) et Teuffelio ineptum et absurdum videbatur, nonne multo facilius est intellectu, cur ita iudicaverit patriarcha, si miram illam Appuleii (lib. I p. 34 sqq.) de „caupona Meroa anu" eiusque factis fabulam a Lucio initio statim operis traditam esse arbitramur? Accedit, quod illa prodigia (p. 38—40.) sunt eius modi, ut in „metamorphoseon libris" referri possint. Sed quamquam viatorum sermonibus satis

apte ea inserta esse et his similibusque narrationibus Lucii animum ad portenti alicuius visendi cupiditatem facile incitari posse confitebimur, qua inflammatus a Luciano (cap. 4.) introducitur, — tamen ex his intelligi posse negabimus, Lucianum auctoris illius Patrensis libros epitomasse. Etenim si quis putaverit necesse fuisse fabulas prodigiosas interponi, ut unde mota esset iuvenis mira cupiditas, certiores fieremus, ego talem causam adferri opus non fuisse dixerim, cum Thessaliae mulieres iam ante Luciani aetatem tantam artis magicae famam apud omnes adeptae essent, ut homines in hanc terram proficiscentes eius ignari esse non possent. (Cf Horatii locos complures, Suid. s. v. *Θεττάλη γυνή*, ubi Aristophanis verba Nubb. 748, explicat, Pauly, Realencyclopädie des kl. A. s. v. magia.). Itaque si recte iudicamus, fabellas illas prodigiosas, quas viatores narrant, iam in Lucii libris extitisse, facile fieri potuit, ut eae Luciani verbis, quamvis omnia aperta et plana essent, insererentur a Lucio, nimiam narrandi perspicuitatem sectato.

2) Multo elegantius eis rebus, quas ab Appuleio additas esse constat, a Lucio est adiunctum, hominem illum in asini formam mutatum postquam in stabulum se contulisset, rosas, quibus Eponae deae signum exornatum esset, comedere conatum ideoque a servulo misere tunsum esse. (App. III p. 226.) Sed etiam hoc loco non modo Lucianum fuisse scriptorem priorem cognoscimus, sed etiam quae interpolatorum fortuna esse soleat, perspicimus, cum nonnulla sanae menti repugnare videantur. Nam primum probabilius est equisonem, priusquam fustem adriperet, miratum quaesivisse, unde ignotus asinus in stabulum venisset; deinde, quod haec omnia altissima nocte facta esse narrantur, haud iniuste mirari possimus, quomodo in stabuli tenebris asinus rosas statim adspexerit et servulus noctu vigilans asini in deam facinus viderit.

3) Tum Appuleium ex Lucii libris desumpsisse arbitror, quae de pueri impuri morte refert. Hunc enim, cum quando asinum in montes abegisset, ursa magna laceratum esse dicit. Quo facto viatorem asinum metu perculsum excepisse sed ab equisonibus deprehensum et accusatum esse, quod asini custodem interfecisset. Re denique patefacta a pueri matre Lucium summis contumeliis et cruciatibus adfectum esse. Haec omnia lepide ficta esse facile concesserim, id autem negaverim, Lucium a Luciano esse epitomatum. Adsentior enim Teuffelii

(l. c. p. 247) sententiae, qui auctorem, cum indignum esse existimaret puerum nequissimum impune evadere, haec interposuisse censet, ne iustam poenam effugeret.

4) Cum post Charitae Tlepolemique mortem tota familia vasis collectis castra movisset, res mirae ac prodigiosae eis occurrerunt, quas Appuleius in libro VIII (p. 548 sqq.) nobis refert. Narrat enim rusticanorum hominum impetum in eos factum, robustum iuvenem a dracone devoratum, poenam acerbissimam servo adultero impositam. Haec autem de servo capitis damnato fabula tam breviter et strictim est composita, ut mihi ab Appuleio inventa et inserta esse non videatur. Ac profecto! si periculum velis facere, paucis verbis mutatis in graecum sermonem possis transferre. Quam ob rem ex graeco quodem auctore ab homine latino eam petitam esse censeo. „At ex quonam auctore transscripsit Appuleius? An ex Lucio Patrensi? Hoc opinor, factum esse nequit, quia parum cohaeret cum narrationis argumento.“ Haud constat, unde mutuatus sit, sed cave, ne inconsultius de hac re iudices. Etenim cum Photius nobis non exposuerit, quale fuerit ceterorum Lucii librorum argumentum, temeritatis est fortasse plane negare, nonnulla ex eis, quae Appuleius locis inopportunis interposuerit, in posterioribus Patrensis libris extitisse. Itaque si hoc ipso loco, quae de colonorum inimicitiis et de draconis atrocitate narret, ea Appuleium a Lucio petiise concedimus, etiam fabulam illam, in qua orationem paene graecam inveniamus, ab eodem scriptore, etsi ex alio libro, desumptam esse haud scio an iure existimemus. Sed utut est, id facile conveniemus, omnia quae in itinere facta esse traduntur, non repudiata aut omissa esse a Luciano, sed post eum a Lucio et Appuleio esse interposita.

5) Praeterea iam Lucium narravisse arbitror, quae sunt lepidissime ficta de via ac ratione, quibus asinum non esse rabidum custodes cognoverunt. (App. IX p. 596.) Adeo enim simplex est narratiuncula, ut ab inflato et nimis quaesito scriptoris Madaurensis genere narrandi aliena sit. Quin etiam tam apte cum fabula est coniuncta, ut Lucianum Lucii opus epitomasse arbitraremur, nisi moris esse Luciani constaret, satis multis verbis referre, quibus variis casibus asinus vexaretur, sed paucis exponere, quomodo malis liberaretur. Quod quam verum sit, satis tibi ostenditur in extr cap. 26, ubi brevissime

narratur, quomodo Lucius ex malis et cruciatibus, quibus eum pressum esse auctor accurate nobis tradidit, ad meliorem vitae condicionem sit servatus. Ac mihi quidem haec Luciani ratio cum fabulae consilio magis consentire videtur, quam latior illa et diffusior Lucii narratio.

6) Lucianus, ubi asinum ab hortulano emtum esse narrat, his paucis utitur verbis: cap. 43. *λεπτὸς οὖν πάνυ γίγνομαι καὶ ἀσθενὴς ὥστε ὁ δεσπότης ἔγνω με πωλῆσαι.* Sed Appuleius de hac re (X pag. 620.) varias ac miras fabulas conseruit, quarum pars ab auctore latino, pars a priore scriptore videtur addita esse. Lucium enim narravisse puto pistorem, qui asinum emisset, interfectum esse insidiis et veneficiis uxoris, quam impudicitiae causa repudiavisset. Appuleius igitur hanc narrationem non modo exornavit, sed etiam alias res easque satis alienas addidit, ut fabulam de Philesietaero, Aretae adultero, cum aliis parum coniunctam (IX p. 624. sqq.) — „At Lucianus, dixerit quispiam, nimis breviter rem absolvit; itaque magis mihi placent, quae a Lucio scripta esse arbitraris.“ Breviter certe Lucianus, sed nimis breviter nego. Nam summi momenti, cur primum de hac re Lucianum scripsisse censerem, semper mihi videbatur esse, quod in tot variis casibus ita versatur, ut non bis eandem causam asini fortunae commutatae proferat. Quapropter cum iam antea dominis mortuis asinus in aliam vitae condicionem devenisset, optime auctor novam causam excogitavit. Tum vero Lucius et Appuleius, res magis prodigiosas sectati, iterum mira domini morte, (ut antea lib. VIII, init.) factum esse tradunt, ut asinus in aliorum hominum potestatem veniret. Quodsi ex his exemplis apparet, Lucianum non fuisse Lucii epitomatorem, nihil est, cur perversam Photii aliorumque sententiam teneamus, praesertim cum Luciani scriptum libri in angustum coacti speciem non praebeat. Pauci enim loci, qui eam suspicionem movere possint, facile ita explicantur, ut opinioni nostrae non officiant.

Ac primum quidem haud scio an mirum sit, quod Lucianus quamvis non semel Hipparchum avarum dicat (*φιλάργυρος* cap. 1; 4;), nusquam eius avaritiam accuratius nobis depingat. Verum tamen Lucium aut Appuleium Luciani brevitate parum intellecta uberius de sordido Hipparcho (Milone) disseruisse existimo. Nam quae in Luciani cap. 1. invenimus (*ὅτι ἀργύριον ἱκανὸν ἔχει καὶ ὅτι μίαν θεράπαιναν τρέφει καὶ τὴν ἑαυ-*

τοῦ γαμετὴν μόνας. ἔστι γὰρ φιλαργυρώτατος δεινῶς), ea nulla alia de causa dicta esse mihi videntur, nisi ut his rebus praedones (cap. 16.) quasi invitatos esse appareret ad Hipparchi domum expilandam, ubi et sine ullo labore periculoque inrumperent et multas divitias raperent. Appuleius autem hoc rerum conexu parum perspecto multis verbis de hominis illius avaritia et sordibus nos certiores facit. Et quoniam oratio mea huc devenit, exemplum mihi adferre liceat, quo scriptorem illum latinum Luciani verbis non intellectis de suo aliquid inepti addidisse demonstremus. Lucianus igitur, ubi asinum a pistore emtum molae subiunctum esse narrat, his usus verbis: *ἐγὼ δὲ ἠπιστάμην ὅπως χρὴ ἀλεῖν πολλάκις παθών* (cap. 42.) labores significat (*παθών*), quos equisonis uxor (cap. 28.) Lucio imposuit. Sed apud Appuleium, qui illius asini condicionis non recordatur, haec legimus (IX p. 614.): Sed quamquam frequenter, cum inter homines essem, machinas similes circumrotari vidissem.

Deinde ut ad alterum locum transeam, Lucianum, ubi Appuleius varios latronum casus omniumque interitum narrat, epitomatoris specie liberandum esse arbitror, quia alienum esse puto ab eius proposito, mutatae fortunae causas diligentius explicare (cf. p. 19 n. s. num. 5.). Nam aut a Lucio aut ab Appuleio longa illa de astuto Tlepolemi consilio fabula est interposita, cum Luciani narratio (cap. 26.) nimis brevis esse videretur.

Tertio vero loco auctoris Samosatensis breviloquentiam et ipse reprehenderim. Repente enim ac subito Lucii frater Thessalonicam est advectus, nulla antea re commemorata, qua eum venturum esse coniiceremus. (cap. 55.) Neque ad Wielandii, viri eruditissimi, sententiam accesserin, quae est ea, ut Lucianum saepius non exponere putet, quae ex ipsis rebus intelligi possint. Immo vero, cum idem ille elegantissimus interpres in hoc libello non modo multa verba corrupta sed etiam complures lacunas statuendas esse iure dixerit, facile fieri potuit, ut aut hoc ipso loco, quem sanum esse nego (cap. 55. *ἐν τούτω δὲ καὶ ὁ ἀδελφὸς ἐμὸς ἀφίκετο ἀργύριον κομίζων, κἀν τούτῳ με ὁ ἄρχων δημοσίᾳ ἀπολύει.*) aut paullo antea — fortasse ubi de patria et genere Lucius nos certiores facit — verba exciderent, quibus Lucianus fratrem adventurum esse nuntiaverat. Quodsi tota illa asini fabula, quae inter scripta Lucianea legitur, neque amplioris libri in minorem contracti speciem praebet,

(cf. Teuffel p. 249) neque ex his utriusque generis exemplis. Lucii diffusiorem narrationem a Luciano in unum librum coartatam esse cognovimus, sed breviorem fabulam intelleximus ab illo auctam esse, falsa est iudicanda opinio eorum, qui Photii sententiam comprobaverint. Neque a iudicio nostro deterreamur oportet, si viris doctissimis et clarissimis non idem placuisse videmus, cum plerique eorum non tam accurate de hac re disputationem instituisse, quam patriarchae auctoritate moti et volgarem hominum opinionem secuti esse videantur. Quo in numero habere non dubito Joh. Gerh. Vossium, qui Lucium a Luciano in epitomen redactum esse arbitratur[1]), Salmasium, qui his utitur verbis:[2]) Haec etiam inter eos differentia notabilis, quod Appuleius Lucium dedit tamquam ἐν παραφάσει auctiorem, Lucianus breviorem tamquam ἐν ἐπιτομῇ; Fabricium qui ex Patrensis libris Lucianum asinum suum expressisse arbitratur[3]); Gesnerum[4]). Oudendorpium[5]) Bährium[6]) Rodeum[7]) qui stant in eadem sententia.

Neque tantam fiduciam in librorum manu scriptorum auctoritate collocare audemus, ut unius codicis (Venet. 72.) verbis confisi (cf. Jacobitii edition. Vol. II, p. 456, qui ad calcem illius codicis haec exhiberi dicit: Λουκιανοῦ ἐπιτομὴ τῶν Λουκίου μεταμορφώσεων) ad res satis exploratas nihil respiciamus. Atque verborum codicis rationem habendam esse nullam optime demonstravit Lehmann, apud quem haec fere legimus:[8]) Eatenus quilibet cum elegantissimo iudice (Wielandio) faciet, qui Luciani ingenium proprium vel ex vera eius historia cognoverit, neque adeo patienter feret verba in cod. Venet. 72. ad calcem libelli adscripta et a Courierio contra suam ipsius sententiam edita; — manifesto illa a studioso quodam Photii lectore et sectatore profecta.

---

1) Voss. de historicis graec. edid. Westermann Lips. 1838, p. 463.

2) Exercitatt. Plinianae in Solinum, prolegom. p. 7. Traject. ad. Rh. 1689.

3) Biblioth. graec. Vol. V. p. 339 et VIII. p. 159 edit. Harles. Hamburg 1796; Vol. IX. p. 416 edit. princ. 1719.

4) Lucian. edid. Lehmann Vol. VI. p. 504.

5) Appulei. edid. Oudend. Vol. I. p. 2 not.

6) Pauly, Realencyclopaed. d. kl. Alt. Vol. I. p. 644.

7) in conversione Appul. praef. p. XV.

8) Luc. ed. Lehm. Vol VI. p. 504.

 Hauptsache

Restat ut opinionem diluamus ac refutemus, quam Manso, vir doctissimus, protulit [1]). Is enim Lucianum, cum librum ab eo scriptum crederet, Lucii libros eisdem fere verbis imitatum esse censuit, ut auctorem Patrensem eosque scriptores castigaret et perstringeret, qui illa aetate res nimis prodigiosas ut veras narravissent. Deinde consilium Luciano maxime dignum fuisse, Lucii Patrensis superstitionem ita inridere, ut in mira fabula ab eo composita, primas partes eum agentem faceret. — Quid igitur? Dignumne esse Luciani ingenio, alius hominis fabulam nomine mutato in satiram transscribere! Eamne esse in inveniendo felicitatem a summis viris maxime laudatam! Si pauca verba vel unam paginam imitatus Lucium illusisset, crederem, sed omnia fere in hoc libello ex alieno opere desumpsisse Lucianum nego. Nam ut Luciani scripto homines superstitiosos aut voluptatibus deditos exagitari concedo, ita nunquam persuaderi mihi poterit, hanc satiram, si est satira, in unum hominem esse factam. Multa enim in ea inveniuntur, quae cum dicta sint in hominum genus vel vitiis vel ineptiis insigne, plane absurda videntur, si omnia ad Lucii superstitionem perstringendam pertinere arbitramur. Quam denique causam fuisse putas, cur auctor diu ac saepe in rebus obscoenis versaretur, si id unum persequeretur, ut Patrensis illius hominis stultitiam inrideret?

Quae cum ita sint, omni argumentorum genere mihi videtur demonstrari, eum libellum, qui inter Lucianeos legi soleat, fontem esse librorum a Lucio Patrensi et post eum ab Appuleio compositorum. Itaque si hunc scriptorum ordinem fuisse arbitramur, multa nobis perspicua et aperta fiunt, quae antea erant satis obscura et impedita. Etenim ut ad Wielandii sententiam revertamur eo inclinantis, Lucium Patrensem omnino non fuisse, sed nomen illud ex duorum librorum fabula in auctorem ipsum transiise, negare non possumus, hanc coniecturam esse veri simillimam. Quid? si Lucium rerum scriptorem fuisse putamus, nonne mirum est habendum, hominem illum non modo res prodigiosas sed etiam turpissimas (cap. 8. 51.) de se ipsum narravisse? Neque difficile causa reperitur, cur auctor, cum opus in lucem emiserit, nomen suum non inscripserit. Nam si libros, quamvis cum argumentum, tum plerumque etiam verba

[1]) M., scripta miscellan. Lips. 1801. Tom. II. p. 244 sqq.

— cuius rei testis est Photius — a Luciano deprompsisset, inscripto nomine suos ipsius esse conatus esset significare, fraudem ac furtum in priorem auctorem commisisset. Quam vituperationem ut effugeret, metamorphoseon libros tamquam sine auctore in volgus edidit.

Verum haec omnis oratio spectabat ad opinionem eorum refellendam, qui libellum, qui inscribitur Lucius sive asinus, ex Lucii Patrensis metamorphoseon libris originem duxisse rati, a Luciano abiudicaverunt, cum auctorem illum elegantissimum unquam aliorum scrinia compilasse aut scripta epitomasse negarent. Et quoniam satis ostendisse mihi videor, hunc libellum et ante Lucii et Appuleii aetatem extitisse et ab his auctum exornatumque esse, nihil est, cur iustam illis esse causam confiteamur. Nunc autem ad alteram disputationis partem venimus et eam quaestionem, an ex ipsa fabula, qualis codicum auctoritate nobis tradita est, concludere possimus, utrum Lucianus sit auctor, necne. Ac primum quidem paucis exponam, quo tempore Lucianus, si recte auctor dicitur, hunc libellum composuisse putandus sit, deinde dicam de iocosa ac salsa narrandi ratione a Luciani more non aliena, tum de rebus grammaticis et orationis difficultatibus, quae memoratu dignae esse videantur.

Ut igitur adgrediar ad tempus definiendum, quo scriptum illud a Luciano compositum sit, revertendum mihi videtur ad Teuffelii sententiam, de qua iam supra (p. 23.) pauca dixi. Is enim vir doctissimus Appuleium ex ipso Luciani, neque ex Lucii libro fabulae argumentum petiisse censuit, temporum ordine nos prohiberi arbitratus, quominus ab auctore Patrensi post Samosatensem et ante Madaurensem, viros aetate prope aequales, haec fabula tractaretur. Qua in re tenendum est, Appuleium omnium fere consensu libros metamorphoseon scripsisse putari, cum artis magicae ante aliquot annos absolutus aetate iam esset provectior.[1]) Sed quoniam supra demonstravimus, cum Luciani asinum fontem fuisse, unde Lucius Patrensis narrationem hausisset, tum Lucii libros ab Appuleio inspectos esse, eo adducimur, ut inter opera duorum scriptorum, qui admodum paucis aetatis annis inter se differunt, Lucii librum

---

[1]) Bernhardy, histor. litter. Rom. p. 730 adnot. 574; Rode, transl. App. praef. p. 15; ali.

interponendum esse censeamus. Itaque etiamsi Appuleius annum agens iam quadragesimum, librum composuit, tamen scriptum, quod inscribitur asinus, a Luciano, quippe qui quinque vel decem annis Appuleio aetate praestiterit, abiudicandum est, nisi inter studia iuvenilia referendum id esse arbitramur. Etenim nisi vicesimo quinto vel tricesimo aetatis anno Lucianus illum libellum in lucem edidit, accidere non potuit, ut non modo Lucius Patrensis eandem rem tractaret, sed etiam Appuleius utrumque auctorem legeret et cognosceret. Sed facile hoc fieri potuit intra spatium viginti vel triginta annorum, qui sunt a Luciani aetatis anno vicesimo quinto usque ad Appuleii quadragesimum. Quamobrem — liceat mihi, quid de hac re censeam, iam nunc proferre — ea est mea sententia, ut fabulam, quae inscribitur Lucius sive asinus, a Luciano quidem, sed eo tempore compositam esse putem, cum auctor admodum iuvenis nondum ad illam orationis laevitatem et dicendi elegantiam pervenisset, quas in aliis scriptis admiramur. Atque in hac opinione non modo me confirmat, quod, iuvenilis aetatis ratione habita, permulta, in quibus offendimus, facile expediuntur, sed etiam maxime me iuvat, quod Sommerbrodtii, viri in Luciani scriptis eximie versati, auctoritas mihi suffragatur [1]). Sed iam ostendendum mihi est, neque narrandi ratione lasciva, neque dicendi genere satis insolito nos cogi posse, ut librum spurium esse contendamus. Ac profecto, si fabulam, de qua agitur, cum aliis Luciani scriptis comparabimus, facile in hoc quoque libro multa eorum cognoscemus, quae in Luciano laudat Erasmus Roterodam. (epist. I, 29, 5) his fere verbis: Tantum obtinet in dicendo gratiae, in inveniendo felicitatis, tantum in iocando leporis, in mordendo aceti, sic titillat allusionibus, sic seria nugis, nugas seriis miscet, sic ridens vera dicit, vera dicendo ridet, ut nulla comoedia, nulla satira cum huius dialogis conferri debeat. — Nonne enim lepidissime fictum esse putas narrationis argumentum, quae non modo Lucii et Appuleii sed etiam multis post saeculis Macchiavelli animum ita delectavit, ut denuo ab eis tractaretur? Quid? quod antiquitatis studiis renatis, cum ex Italia in Germaniam lux doctrinae et eruditionis splendor transirent, Luciani asinus fuit inter veterum

---

[1]) Luciani scripta sel. edid. Sommerbrodt fascic. I, Berol. 1860. praef. p. XVII.

auctorum scripta, quae Niclas de Wyl, nostrorum interpretum aetate fere primus, in Germanorum linguam transtulit? An ea fabula parum iucunda tibi videtur, quam trium populorum auctores nobis tradiderint? Mihi quidem verissima videntur, quae de argumenti praestantia et virtute dixit Bourdelotius his verbis[1].

„Praecipue autem admiratione digna est mira casuum et periculorum varietas, quibus sursum atque deorsum iactatum sese interim etiam bene acceptum fingit.“ — Neque in singulis rebus depingendis et casibus describendis requiremus leporem et facetias, quae sunt propria Luciani, cum saepissime auctor paucis, ut ita dicam, lineamentis imaginem tam lepidam adumbraverit, ut suavissime risum moveat. Cuius rei, ut omittam plura, pauca exempla adferam. Quis enim est, qui non gaudeat eis verbis, quibus utitur Lucianus ubi Lucium Palaestram vituperaturum facit, quamvis in asini formam mutatus iam neque vultum neque vocem hominis habeat (cap. 13 s. f.). Adde deinde eos locos, ubi Charitae virginis parentes deliberant, quomodo summas gratias asino referant (cap. 27) et ubi Lucius, qui deae Syriae sacerdotes vulnera sibi infligentes videt, metuit, ne etiam asinini sanguinis cupiditas deae animum invadat (cap. 37). Alia sunt eius modi: cap. 26 sf: *οἱ κωμῆται ἔγνωσαν ἡμᾶς εὐτυχοῦντας εὐαγγέλιον αὐτοῖς ἐμοῦ προογκησαμένου.* cap. 27: *κατηρώμην τὴν Πάλαιστραν ὡς ὄνον με καὶ οὐ κύνα τῇ τέχνῃ μεταθεῖσαν. ἑώρων γὰρ τοὺς κύνας εἰς τοὐπτανεῖον παρεισιόντας καὶ λαφύσσοντας πολλὰ καὶ ὅσα ἐν γάμοις πλουσίων νυμφίων.* cap. 38 fin. *ὥστε με μή ἀποκτεῖναι δεινῶς αὐτοὺς ἡ θεὸς ἐδυσώπησε χαμαὶ καθημένη καὶ οὐκ ἔχουσα ὅπως ὁδεύοι.*

Deinde illud est Luciani proprium, dicendi genere sublimi et magnifico nonnunquam uti in rebus levissimis et vilissimis enarrandis. Cuius rei exempla in hoc quoque libello invenimus, cum auctorem — ut ita dicam — vultu ad severitatem composito iocularia fudisse videamus in cap. 35. in: *ἡ δὲ πολλὰ πολλάκις δινουμένη καὶ μεταπίπτουσα Νέμεσις ἤγαγε κἀμοί (τῷ ὄνῳ) τὸν δεσπότην.* Ubi autem deae Syriae sacerdotes ab hominibus rusticanis stipem mendicasse narrat, his utitur verbis (cap. 38 init): *καί ποτε εἰς κώμην τινὰ αὐτῶν εἰςβαλόντων*

---

[1]) Luciani opp. edid. Bourdelotius, Paris 1615 p. 643.

ἡμῶν; tamquam si illi fuissent domini villarum atque oppidorum, unde tributa exigerent. Atque etiam Lucianum saepissime ad proverbia recurrere eisque summa urbanitate plerumque uti satis ostendit magnus locorum numerus a Leutschio [1]) collectus, quibuscum conferas, quae addidit Schwidop observationibus Lucianeis a se scriptis [2]). Hoc autem loco officio satisfecisse mihi videor, si ex multis exemplis haec duo protulero simillima eorum, quae in asino invenimus: Pro merced. cond. fin. *ἱκανὸν ἂν εἴη μοι τὸ οὐ φροντὶς Ἱπποκλείδῃ* (cf. Paroem. gr. II p. 466); Timon 57. *μέτριον χρὴ εἶναι τὸν φιλοσοφοῦντα καὶ μηδὲν ὑπὲρ τὴν πήραν φρονεῖν* (Par. gr. III, 558). In ipso quoque asino auctor narrationi non semel proverbia tam facete inserit, ut risum vix teneamus. Etenim aut baculo, flagellis aliisque malis asinum edoctum esse dicit, ut praestantissima esse proverbiorum praecepta sentiret, aut dictum aliquid tam ingeniose cum fabula coniungit, ut inde in proverbium abisse facile videatur. Sic Lucius, postquam hortulano in terram ungulis prostrato canes validissimos in se immissos vidit et effugiendi nullam sibi facultatem esse perspexit, verissimum illud esse intellexit: *παλινδρομῆσαι μᾶλλον ἢ κακῶς δραμεῖν* (cap. 18). Cum autem praeligatis oculis molae subiunctus se a labore durissimo liberatum iri speraret, si operis se esse ignarum simulasset, hominum circumsistentium et ex improviso caedentium verberibus est monitus *ὅτι χρὴ τὸν δοῦλον ἐς τὰ δέοντα ποιεῖν μὴ περιμένειν τὴν χεῖρα τοῦ δεσπότου.* (cap. 42 s. in.). Sed longe aliter res sese habet, ubi auctor refert verba *ἐξ ὄνου παρακύψεως* proverbii locum obtinuisse propterea, quod hortulanus, qui militem insolentem male mulcasset, asini curiositate proditus esset. Nam alii auctores, in quorum scriptis dictum illud invenimus, ut Menander (edid. Meineke p. 86.) et paroemiographi, non modo omittunt vocabulum *ἐξ*, quod apud Lucianum antecedit, sed etiam causam, cur verba in proverbium abierint, prorsus aliam esse contendunt. Et apud Suidam s. *v.* *ὄνου παρακύψεως* haec fere legimus [3]). „Hoc proverbium dicitur in eos, quibus ridicule crimina obiiciuntur . . . dicunt enim asinum per fenestram inserto capite aves, quas figulus formasset, evertisse et quae vasa erant in officina confregisse. Cum

---

[1]) Paroemiograph. graec. Vol. II p. 853.

[2]) Progr. gymnas. Kneiph. Regimont. 1848 et 1850.

[3]) Suidas edid. Bernhardy p. 1131.

igitur dominus officinae agasonem in iudicium adduceret ille ab obviis interrogatus, cuius criminis causa in ius vocaretur, respondit: „ὄνου παρακύψεως.“ Neque discrepant ab hac fabula, quae E. de Leutsch ex Zenobii centur. V, 39 aliorumque paroemiographorum libris congessit, nisi quod ab his non aves fictiles eversae, sed vivae asini adspectu perturbatae esse narrantur. Facile autem cognoscimus, Lucianum hortulani innocentiam aut criminis, ob quod reus accusatus sit, levitatem non spectare, sed rationem, qua homo asini curiositate sit proditus. Quodsi quaeritur, utrum Luciano fides sit habenda an aliorum narrationi, sine ulla dubitatione confitebimur hos ea, quae volgata hominum opinione credebantur, nobis tradidisse, — illum proverbio vim et originem subdidisse a volgari honimum sententia diversas. Nimirum ut etiam apud nos poetae omnium memoriam ac litteras non secuti, proverbium ex fabula ficta originem duxisse nonnunquam nobis persuadere student, sic Lucianus, cum dicto omnibus notissimo aliam sententiam subiiceret, rei inopinatae novitate lectorum animos delectare voluit. Ut autem in Luciano inesse videmus summum studium eos persequendi, qui alicui superstitionis generi dediti sint, ita etiam in hoc libello homines exagitasse mihi videtur, qui aut artis magicae aut deae Syriae viribus atque auxilio confiderent. Itaque fit saepius, ut libellus, de quo agimus, comparetur cum vera historia a Luciano scripta. Sed veram quoque historiam aliquanto post asinum scriptam esse arbitror, quia in hoc tantam litterarum graecarum scientiam et dicendi elegantiam non invenimus, quantam in se fuisse auctor ipse confitetur, cum illam componeret.

Fuerunt alii, quibus dubitationem non ita levem iniiceret, quod in asini casibus enarrandis auctor saepius res obscoenas protulisset. Nam tantam verborum obscoenitatem, quantam in nonnullis asini capitt. (9. 10. 51.) invenimus, multi a Luciano alienam esse dicunt, qui plerumque in eius modi rebus satis pudicum se praebuerit [1]). Qua in re diiudicanda neque nimiam severitatem adhibere audeo, cum multa antiquis hominibus dicere licuerit, quae nobis tacenda videntur, neque Jacobo adsentiri possum, qui de illis locis lascivis ita disserit, ut scri-

[1]) Tiemann, Versuch über Lucians Philosophie u. Sprache, Zerbst 1804. p. 44; — Jacob, Charakteristik Lucians v. Samos. Hamburg 1832 p. 170.

ptorem magis laudare quam vituperare videatur (Charakter. p. 170. 188.): sed causam esse hanc orationis licentiam, cur libellus Luciani nomine sit indignus, non putaverim. Id enim in censura veterum scriptorum cavendum esse Jacob suo iure monet, ne nostram sentiendi rationem nostrumque cogitandi morem, quod in talibus verbis saepissime factum sit, eis inferamus, neve immemores simus, quae de rebus venereis in sermone cotidiano Gallorum et Italorum hodie adhuc audiantur sive in carmine Ariosti fabulisque Boccacci legantur [1]). Deinde quamquam a morum integritate procul abesse eum arbitramur, qui rebus turpibus valde delectetur, tamen neque alios auctores neque asini scriptorem propter solum lascivi sermonis crimen condemnare possumus, cum aliquid veri insit in hoc Catulli dicto: Carm. 16, 5—6: Nám castum esse decet poetam Ipsum, versiculos nihil necesse est. Etiam Wielandium, testem locupletissimum, auxilio mihi vocare possum, qui de ea re haec [2]): Selbst der Umstand, dass unzüchtige Reden und Situationen in beiden Stücken, des Lucius v. Patrae und Lukians, vorkämen, spräche für die Autorschaft des Lucian; solch ein Schriftsteller hätte wohl der Versuchung unterliegen können, zweideutig allegorischen Witz anzubringen und Ausschweifungen hoher Damen sarkastisch darzustellen; aber gewiss würde er sich geschämt haben, sich für fremden Witz Complimente machen zu lassen und Gemälde dieser Art von einem andern abzucopiren. Rectissime mihi Sommerbrodt (in peaef. p. XV.) non omnia, quae obscoene lascive turpiter dicta sint, sed quidquid infacete ineleganter incondite narratum sit, Luciano tribuenda esse negat. Itaque, ut brevi dicam, hanc quoque inter Lucianum et Horatium (cf. Satir. I, 2, et epod. libr.) similitudinem fuisse arbitror, quod uterque scripta, quae rebus indecoris abundant, composuit cum ad constantem aetatem nondum pervenisset.

Reliquum est ut dicam de orationis forma a ceteris Luciani scriptis discrepante et de inusitatis verbis, quae in asino inveniuntur. Quibus in difficultatibus cum viri doctissimi et sagacissimi vehementissime offenderint, ut Hemsterhuis, Courier, Lehmann, satis longus esse debeo. Lehmann enim (in edit. Vol IV, p. 504.) profiteri non dubitat, Lucianum, si vere huius fabulae scriptor fuerit, plus quam Protea habendum esse,

[1]) Luciani Alexand. edid Jacob p. 28.
[2]) in transl. opp. Lucian. Vol. IV p. 302.

qui per hunc libellum, si vel consilium narrationis, vel orationis formam spectes, toto coelo diversus appareat a genuinorum librorum auctore. Et cum his consentit ac congruit sententia Courierii, a Letronnio maxime laudata[1]). Sed ipsum Courierium audiamus, qui in praef. p. 21—22 hunc in modum disserit: Le style n'est pas aussi pur, que le prétend Photius ni en tout exempt des défauts du siècle où l'auteur a vécu. Il y avait alors grand nombre d'écrivains, dont l'étude principale était de créer des expressions, de tourmenter la langue, de tenailler les mots, si l'on peut ainsi dire, pour en étendre le sens à des acceptions, dont personne ne se fût avisé. Il a parfois d'étranges manières de s'exprimer qui, dans le fait, sont à lui et dont on aurait peine à trouver des exemples. Mais son plus grand tort, c'est d'aimer trop le vieux langage et les expressions surannées .... Il est vrai, qu'on ne peut lui reprocher, de ne pas s'en servir habilement etc.

Atque ut hoc iudicium comprobaret in observationibus editioni additis, ubi a volgari Graeci sermonis forma auctor libelli recessisset, denotare et unde inusitata vocabula deprompsisset, exponere studuit. Ubi autem disceptationem instituit, quisnam auctor fabulae sit habendus, novam et antea inauditam opinionem profert, Lucium ipsum Patrensem non modo metamorphoseon libros a Photio commemoratos sed etiam libellum composuisse, qui inter Luciani scripta legeretur. Nam fabularum illum scriptorem (cap. 55. ἱστοριῶν καὶ ἄλλων συγγραφεύς.) primum breviorem, quae uno libro contineretur, narrationem in lucem edidisse. Tum aut eundem Lucium aut alium fabulatorem, rebus prodigiosis delectatum, hac fabella exornata et aliis similibusque additis opus confecisse, cui Photii temporibus nomen Lucii fuisset inscriptum. De Appuleio eandem sententiam atque nos profitetur, eum Lucii potissimum libros imitandos sibi proposuisse ratus. Neque tamen hoc Courierii iudicium, quamvis aliis multo sit verisimilius, facile mihi comprobari potest, praesertim cum nonnulli viri de dicendi genere et verborum usu, quae homini illi Francogallo abhorrere videntur a Luciani elegantia, sententiam plane contrariam protulerint. In quibus nomino Belinum de Ballu, qui postquam hanc narrationem inter fabulus Milesias referendam esse nobis

[1]) Journal des Savants 1818 p. 417.

persuadere studuit, sic verba facit[1]): Si l'on considère le style, dont la fable attribuée à Lucien est écrite, on sentira, qu'il diffère essentiellement de celui de cet auteur par une simplicité touchante, une naivité, qui decèle plutôt les premiers siècles littéraires de la Grèce, que celui des Antonins. Alii vero libelli scriptorem multo post Impp. Hadrianum et Antoninos fuisse contendunt, ut Cobet, omnium iudex facile severissimus, qui hanc sententiam dicit[2]): „Quicunque scripsit Lucium sive asinum aliquanto serius quam Lucianus vixit et graecitate utitur aliquanto deteriore." Sed mea est animi sententia, ut librum illum, qui códicum auctoritate inter Lucianeos legitur, non ad litterarum graecarum optimam aetatem referendum, aut ad decrepitam senectutem detrudendum, sed ipsi Luciano tribuendum esse censeam. Etenim quamquam multas orationis difficultates et res inusitatas in eo inveniri inter omnes constat, tamen tantam earum esse vim negaverim, ut fabellam lepidissimam ab auctore iucundissimo abiudicari oporteret. Quod ut comprobare possim, non modo eos locos, ex quibus iam multis viris dubitatio est orta, aut defendere aut explicare aut emendare pro viribus studebo, sed etiam locutiones et vocabula congerere conabor, quae et in reliquis Luciani libris et in asino saepius nobis occurrunt. Maxime autem eae locutiones spectandae mihi videntur, quae cum Luciani propriae et peculiares sint, satis ostendunt, hunc libellum quasi cognatione non ita longinqua attingere Luciani scripta omnium consensu genuina. Qua in re adiumento et auxilio mihi fuisse non dubito profiteri indicem graecum a Jacobitio (in vol IV.) editioni suae additum et disputationem, quam scripsit Js. Guttentag de subdito qui inter Lucianeos legi solet dialogo Toxaride. (Berol. 1860). Hic enim, cum Toxaridis scriptorem Luciani orationem imitatum esse demonstrare vellet, summa diligentia adnotavit, quibus verbis et locutionibus auctor Samosatensis et quibus in locis maxime uteretur. Atque haec potissimum inveni exempla, quibus summam inter Lucianum et fabellae, de qua agimus, auctorem sermonis similitudinem intercedere ostenderetur.

1) Saepius quam ab ullo alio scriptore, a Luciano interpositionem ita usurpari Guttent. p. 37 iure dixit, „ut ea quae ad rem

---

[1]) Traduction des oeuvres de Lucien, vol. III p. 175. Paris 1789.
[2]) Variae lectiones Lugdun. Bat. 1854 p. 260.

explicandam necessaria sint, continuationi sermonis media interponere soleat." Cuius rei praeclarum est exemplum periodus illa, quae in cap. 12 libri de historia conscribenda legitur, cum Lucianus in ea bis interpositione usus sit. Sed ut Guttentag, cum in Toxaride eiusdem rei exempla invenisset, Luciani imitatorem fuisse dixit eum, qui dialogum illum composuisset, ita, si quae interpositionis exempla in asino extant, equidem eis demonstrari existimo, hunc libellum ab oratione Lucianea non tam discrepare, quam nonnulli contenderint. Alios vero locos, quippe quos Guttentag plurimos collegerit, adferri non opus est; itaque eos tantum exscripsimus, quos in asino legimus:

cap. 5. — *τῆς γὰρ γυναικὸς τοῦ φίλου καὶ ξένου πόῤῥω ἵστασο* — cap. 6 — *σφόδρα γὰρ ἦν ἰταμὸν καὶ χαρίτων μεστὸν τὸ κοράσιον* — cap. 28 *πολλοὶ δὲ πάνυ ἦσαν* cap. 31: — *τί γὰρ ἄλλο ἐδύνατο*; cap. 36: — *τοῦτο γὰρ εἶχεν ὄνομα ὁ ὠνησάμενός με* — cap. 54. — *ἔτυχε δε τῇ θέᾳ ταύτῃ παρὼν* — Eo modo scribenda esse censeo verba cap. 19, quae neque Bekker neque Jacobitz uncis incluserunt: *ὡς δὲ ὀυδὲν ἤνυον* — *ἔκειτο δὲ ὥσπερ λίθος ἐν τῇ ὁδῷ ἀπηγορευκώς* — *λογισάμενοι κτλ.*

2) Lucianum in multis locis plusquamperfecto et perfecto usum esse inter omnes constat, „cum consuetudine graeci sermonis aoristus poni deberet. (Guttent. p. 41). Neque in libello, de quo nobis est disputatio, desunt eiusmodi exempla: cap. 2. *μετρίαν ὁδὸν ἐλήλυθεν.* 8. *ἐμπέπτωκας.* 23. *ἀπονενοημένου* 34. *κεκενωμένης* 35. *ὑπολελειμμένον.* 26. *ἐώνημαι.* 49. *προεληλύθει* 54. *ἐκπεπληγμένου.* 56. *ἡμάρτηταί μοι.*

Atque etiam sunt loci, in quibus perfectum post *ὥστε* particulam positum inveniatur. cap. 11. *ὥστε ἐπελελήσμην* 37. *ὥστε πεπλῆσθαι.*

Quodsi hoc inde factum esse haud iniuste arbitramur, quod Luciani aetate in hominibus graecis iam non fuisset singularis illa diligentia, qua vetustiores scriptores in observanda genuina modorum temporumque vi et potestate utebantur: — haud scio an etiam id sermoni ab antiqua puritate iam recedenti tribuendum sit, quod Lucianus in omnibus fere scriptis participia aoristi nonnunquam usurpavit, ubi praesentis expectamus. Eundem participiorum usum in asino habemus: cap. 24. *ταῦτα εἶπε καταψηλαφήσασά μου*, pro *καταψηλαφῶσα*) cap. 18. *συνέκοψε μήτε πλευρῶν φεισάμενος μήτε μηρῶν* 23. *θανάτων ἄξιον εἰπὼν ἔθεον τοῦ τραύματος ἀμελήσας* (cf. quom. hist. conscr.

10. ἣν δ' ἀμελήσας ἐκείνων ἡδονῆς) 41. ὑπεδέξαντο συνοικίσαντες (pro συνοικίζοντες). —

Et quoniam oratio mea devenit in aetatis, ut ita dicam, errores enumerandos, quibus praestantissimi scriptores graeci carent, hoc loco non dubito proferre promiscuum illum negationum οὐ et μή usum, quem apud Lucianum incredibile quoties invenimus. Quam enim in hac re admiramur Thucydidis, Platonis, aliorum elegantiam, eam Lucianus iam non servavit. Atque etiam in asino satis multi eiusmodi loci extant. Certas enim leges, quas secutus auctor cum participio vocabula μή, μήτε, μηδεὶς, al. coniungeret, quamvis diligenter investigarem, explorare non potui. Quod quam sit verum ex his exemplis licet intelligas: cap. 6. *μηδὲ ὄντα* 11. *εἰς μηδεμίαν γυναῖκα ἐκτείναντα.* 18. *μήτε μηρῶν φεισάμενος μήτε* — 15; *μηδὲν κακὸν πεποιηκότι.* 26. *μηδὲ νεκρὸς κεισόμενος.* 31. *μηδέ ἐλπίζων* 42. *μηδὲ προςδοκήσαντα* 47. *μηδὲν εἰδώς.* 54. *μηδὲν ὀκνῶν, μηδέποτε ἐλπισθείσης.* Sed ne forte credas Lucianum ubique participio negationem μή addidisse, videas locos haud ita paucos, ubi οὐ vel οὔτε vel οὐδὲν legimus: 6. *οὐδὲν ἀδικοῦντα,* similia invenies in capp. 26, 27, 31, 33, 38, 42, 50.

3) Tum a multis est observatum, Lucianum interdum medio verbo usum esse pro agenti, quod veteres usurpare solerent (Guttent. p. 42). In asino hi loci mihi occurrerunt:

cap. 4. *εὐπορουμένη*, dives; (cf. bis accus. 27. s. f. *εὐπορεῖσθαι*). Neque tamen a Luciano ut novi aliquid et inauditi hanc formam usurpatam esse putabis, si cognosces, etiam scriptores aetate superiores hoc medio verbo usos esse. Habemus enim in Theopompi loco[1]) *τῶν μετρίως εὐπορουμένων*, in Polybii, in inscriptione Olbiopolit.[2]), quae cur ad Imperatorum tempora detrudatur non videt Boeckh. —

asin. cap. 25. *διασπάσονται*, Hoc ipso verbo medio *διασπᾶσθαι* Lucianum uti solere testes sunt loci permulti. cf. advers. ind. 17 *ὅτε τὸν Ὀρφέα διεσπάσαντο.* Saturn. 8. *διεσπάσαντο ἂν αὐτὸν.* deorum dial 12, 1. *τοὺς κορύβαντάς σε διασπάσασθαι.* 19, 1. *ἡ αὐτὴ διασπασαμένη*, de lapsu int sal. 18. *διασπάσασθαι τὸν ἄνθρωπον.* Somn. 6. *μικροῦ με διεσπάσαντο* Phalar. I, 4. *διασπάσασθαι.* Invenitur etiam simplicis verbi

---

[1]) Athenaeus VI, 275 C.
[2]) Corp. Inscr. II, 2048.

medii aoristus: cap. 44. λόγχας ἐσπάσαντο. — Deinde in cap. 31. καταχεάμενοι et 51. προχεαμένη legimus, verbi formas non ita usitatas.

4. Neminem mihi videtur effugere posse, quod Lucianus fere ubique adiectivi quod est μόνος formis utitur, etiamsi plerumque non minus recte adverbium poni potest. Quamquam enim saepissime nihil interest, utram formam usurpemus, auctor ille elegantissimus adiectivi usum magis quaesitum adeo praefert, ut rarissime adverbium legas. Cuius rei exempla tot tamque varia extant, ut ea tantum proferri oporteat, quibus, cum in asino inveniantur, Lucii orationem simillimam Lucianeae demonstremus: cap. 1. θεράπαιναν καὶ γαμετὴν μόνας τρέφει. 6. οὐ γὰρ μόνα ταῦτα φαῦλα ἐδώδιμα σκευάζω. — ἡ κατακαύσασα μόνη ἐγώ. 14. ῥόδα γὰρ μόνα εἰ φάγοις (Bekker emendavit μόνον) 22. κομίζοντες μόνην παρθένον ὡραίαν. 35. οὗτος μόνος οὐχ εὕρηκε κύριον. 39. τούτῳ μόνῳ τῷ ἔργῳ. Similiter dictum est in cap. 8. ὅλη γυμνὴ στᾶσα.

5. Porro elegantiae studio, quod in Luciano inerat, tribuendum esse censeo, si persaepe articulum ab eo inter adiectivum et substantivum positum esse videmus. (cf. Guttent. p. 44—45). Etenim verba, quae in dial. mort. 12, 3 s. f. legimus: εἴρηκεν οὐκ ἀγεννῆ τὸν λόγον proprie non significant: honesta verba fecit (τὸν ἀγεννῆ λόγον εἴρηκεν), sed: verba, quae fecit, honesta erant. Neque tamen Lucianum hanc duarum dicendi rationum differentiam accurate retinuisse arbitror, cum nonnunquam sola quaesitae orationis specie permotus esse videatur, ut articulum, quem alii scriptores aut omisissent aut in alio loco posuissent, inter adiectivum et substantivum insereret. Etiam in asino non semel hanc loquendi consuetudinem invenimus:

cap. 13. ἀμφοτέραις ταῖς χερσὶ τυψαμένη. 20. αὐτοσχεδίῳ τῷ λουτρῷ ἐχρήσαντο. 38. ἀνεκτὸν τὸ δεινόν. 42. παίουσι ἀθρόᾳ τῇ χειρί. 51. πολλοῖς τοῖς φιλήμασι. — Interdum etiam adiectivi loco participium est positum: cap. 11. δεῖξον μαγγανεύουσαν τὴν δέσποιναν, — μεταμορφουμένην τὴν κεκτημένην, al.

6. Tum est proprium Luciani, pronomina οὗτος et ἐκεῖνος, quae ante articulum poni solent, aut loco mutato ei vocabulo adiungere, ad quod referri debent, aut, ut dicunt „δεικτικῶς nomini addere, cum facile omitti possint. Quod ut intelligeretur, ex magno exemplorum numero haec pauca attuli: Somn. 1.

τῶν βαναύσων τούτων. 6 fin. *ἡ σκληρὰ ἐκείνη*. 14. *τὴν ἄμορφον ἐκείνην*. 16. *τήν ἐσθῆτα ἐκείνην*. Tim 14. II *πῶς οὐκ ἄδικα ταῦτα;* 59. *τὴν πέτραν ταύτην*. Icarom. 1. *τὰ φορτικὰ ταῦτα* Cum. 4. *τοῦ ἀποθανόντος ἐκείνου*, 8. *τό κεφάλαιον τοῦ σκέμματος τούτου*. 11. *τὴν κατηγορίαν ταύτην*. de dom. 2. *τό κοινὸν τοῦτο* Phalar I, 11. *τὸ μηχάνημα τοῦτο* Rhet. praec. 11. *τὸ γλαφυρὸν ἐκεῖνο*. Prom. 15. *τῷ πολιτεύματι τούτῳ*.

Cum his conferas locos ex asino petitos hosce: cap. *τῇ τέχνῃ ταύτῃ συλλαβοῦσα* 24. *τοῖς δὲ λόγοις τούτοις*. 36. *τὰ κοράσια ταῦτα* 39. *τὸ μέρος μὲν ἐκεῖνο* 53. *τῆς ἡμέρας ἐκείνης* 54. *τῇ θέᾳ ταύτῃ*.

Plerumque autem Lucianus ad hanc consuetudinem descendere solet, si cum substantivo, quod pronominibus illis premitur, adiectivum est coniunctum. Videas enim: Timon 6. *τὸν βαθὺν τοῦτον ὕπνον* 48. *τοὺς μιαροὺς τούτους κόλακας*. Gall. 6. *τὸν λῆρον ἐκεῖνον ποιητήν*. Hermotim 78. *τῶν μεγαλοτόλμων τούτων ποιητῶν*. Cun. 6. *τῆς παραδόξου ταύτης κατηγορίας*. Harmon. 2. *ὁ πολὺς οὗτος λεώς*. Sympos. 10. *τῶν πολλῶν τούτων πλουσίων*. Phalar I, 13. *τὴν ἄμουσον ἐκείνην ᾠδήν*. Tyrannic. 18. *τὴν τελευταίαν ἐκείνην σκέψιν*. Rhet praec. 18. *τὰ ὀλίγα ἐκεῖνα ὀνόματα* Prom. 18. *τὴν ἐπονείδιστον ταύτην κλοπήν*. Et in asini capp. 11. *τῆς παραδόξου ταύτης θέας*. 23. *τὸν δὲ ἄθλιον τοῦτον ὄνον* 26. *τῷ τερατώδει τούτῳ εὑρήματι* 27. *καὶ τὸν κοινὸν ἐκεῖνον θάνατον* 31. *τὸ θερμὸν ἐκεῖνο φορτίον* 32. *ὑπὸ τοῦ καλοῦ τούτου ἐραστοῦ*. 33. *τῆς ἐπαφροδίτου ταύτης ὁρμῆς* 39. *ὁ ἀνόσιος μάγειρος*. 54. *τῇ δὲ παραδόξῳ ταύτῃ θέᾳ*. — Quid? quod etiam post substantivum, cui praecedit adiectivum, pronomen *οὗτος* positum videmus? Ut enim Timon 9. legimus *τοῖς καταράτοις κόλαξιν ἐκείνοις*, ita in Lucii cap. 24. invenimus: *τὴν μίαν νύκτα ταύτην*.

7. Neque omittere possumus loquendi consuetudinem, Luciano prae ceteris familiarem, de qua apud Vigerum[1]) haec legimus: „*Τὸ* cum neutro adiectivo, ac fere superlativi gradus, ponitur eleganter pro subiunctivo *ὅ*, quod, maxime cum recensitis levioribus, ad id quod gravissimum sit, devenitur. (*τὸ δὲ μιαρώτατον*, quod autem sceleratissimum est.)" cf. abdic. 14. *ὅπερ ἀγνωμονέστατον*. — Tim 14, Rhet. praec. 14. *τὸ καινότατον* Char. 23. *τὸ παραδοξότατον* Piscat 26, deor. diàl 24, 1.

---

[1]) Vig. edid. G. Hermann. Lips. 1822. p. 12.

τί δεινότατον Piscat. 35. τὸ δὲ αἴσχιστον. Menipp. 4. Jupp. trag. 14: τὸ ἀτοπώτατον dial deor. 20, 13. τὸ δὲ μέγιστον (cf. Thucyd II, 65.) Huius rei tria habemus in asino exempla: cap. 6: καὶ τὸπαρ αδοξότατον 44. ἀκινδυνότατον 48 τὸ δὲ μέγιστον.

8. Maxime vero respiciendum mihi videtur, quam sit consimilis particularum usus in asino et in aliis Luciani scriptis. Nulla enim re facilius perspicitur, quae sit unius cuiusque scriptoris propria oratio, quam si quaeritur, quomodo in particulis usurpandis et enuntiatis conectendis sit versatus.

a) Ac primum quidem ἀλλὰ particulam a Luciano saepius poni, ubi quis sive dicere sive respondere coeperit[1]), ex omnibus libris facile intelligimus. Itaque etiam in Lucio eiusmodi exempla nobis occurrunt. cap. 2. ἀλλ' ὁ μὲν φίλτατος εὖ ποιεῖ. 4. ἀλλά σοι μὲν πολλὴ χάρις. 8. ἀλλ' ἐπίταττε, ἔφη. 20. ἀλλὰ πάντα εὐτρεπῆ ὑμῖν. 39, ἀλλὰ μήτε ἀπόθνησκε.

b) ὥστε particula nonnunquam in Luciani scriptis imperativo aut coniunctivo, qui vocatur adhortativo, aut optativo antecedit[2]): Char. 7. ὥστε προδίδασκέ με. Timon. 39. ὥστε ξυνδιάτριβε αὐτῷ Iupp. conf. 1. ὥστε ἐρώτα. Iupp. trag. 7. ὥστε κα'θιζε αὐτούς. 26. ὥστε μὴ μειρακεύου. Quom. hist scrib 33. ὥστε οἰκοδόμει. — ὥστε cum coni.: Tim. 46. ὥστε δεχώμεθα. — Gall. 13. ὥστε τί ἂν φθάνοις. —

Asin. 6. ὥστε, πρὸς θεῶν, ἴασαί με. 25. ὥστε ἀμυνώμεθα τὴν πολεμίαν.

Neque discrepat ab oratione Lucianea, quod in asin. cap. 29. legimus: φορτίον ὅσον χαλεπὸν εἶναι καὶ ἐλέφαντι ἐνεγκεῖν. Idem enim vocabulum ὅσον sequitur infinitivus in musc. encom. cap. 1. ὅσον ἐμπίσι καὶ κώνωψι παραβάλλειν bis accus. 1. οὐδ' ὅσον κνήσασθαι τὸ οὖς. cf. Quom hist. 37. οἷος χρήσασθαι ἄν. 37. οὐδ' οἷος πιστεύειν 43. οἷα δηλοῦν τὸ ὑποκείμενον.

c. Itemque vocabula πρὶν ἤ non modo in Lucio sed etiam in aliis Luciani libris cum infinitivo coniuncta inveniuntur. Ea enim, quae apud scriptores Atticos parum usitata fuisse confirmat Krueger, (gramm. 69, 58, not, ubi Hermanni ad Eurip. Med. 1024 adnotationem adscripsit) L Dindorf saepius a recen-

[1]) cf. Krueger, grammat. ling. gr. 69, 4, 4.

[2]) de qua re videas Viger. ed. Herm. p. 558b.

pre. 57, 10, 12 Ebenso nur Lucian all.

tioris aetatis auctoribus usurpata esse demonstrat[1]). Neque aliena esse verba asin. cap. 19. πρὶν ἢ κάτωθεν ἐξεμέσαι a Luciani genere dicendi, satis ostendunt loci consimillimi: dial. mort. 14, 2. πρὶν ἢ τὸ τόξευμα ἐξικνεῖσθαι, Zeux. 10. Idem deinde usus extat ter in amorib., semel in parasit, et in libro de sacrific., quos libros omnes Bekker subditicios esse iudicavit.

d) Deinde aliae particulae, quibus saepissime usus est Lucianus, etiam in asino leguntur: καὶ μὴν καί asin. cap. 18, 29, 30, 38, 51. Quae vocabula quam saepe apud Lucianum inveniantur ex eo intelligi potest, quod in solis verae historiae libris quinquies nobis occurrunt: Ver. hist I, 8, 23,34, II, 14, 20.

καὶ — δέ. asin. 12. καὶ τἄλλα δέ. 13. καὶ τὰ ὦτα δέ. 17. καὶ στόματα δέ. 20. καὶ τὰ κρέα δέ. 51. καὶ τὴν παιδίσκην δέ. Quibuscum conferas Prom. 20. καὶ ὅτι δέ. Timon. 50. καὶ ἠρίστευσε δέ. Piscat. 1. καὶ σύ δέ. de hist. conscr. 1. καὶ κρύος δὲ μέγα 12. καὶ σὲ δέ. Reth. praec. καὶ ἡ δόξα δέ. adv. ind. 9. καὶ ἡ πορφύρα δέ. Ver. hist. I, 10. καὶ ἄλλη δέ. 34 καὶ τὴν πηγὴν δέ II, 19. καὶ οἱ παῖδες δέ. (Tox. 20. καὶ κώνειον δέ)[2]).

e) Tum notanda est eorum locorum ratio, in quibus καὶ vel particulae temporalis significationem habere vel pronominis relativi locum tenere videatur. Hic autem usus apud Lucianum saepius extat, sive τε particulaeve temporales (ἅμα, οὔπω, ἤδη) antecedunt, sive omittuntur (cf. Krueger. gram. 69, 6 et 69, 32, 6. Viger. p. 523.) Similia sunt haec exempla ex asino petita: cap. 17. ἡμέρα τε ἦν ἤδη καὶ πολλὰ ὄρη ἀνεβεβήκειμεν. 26. ὄρθρος δὲ ἦν ἔτι καὶ ἐξαίφνης κτλ.

f. Neque desunt in libello, de quo agimus, vocabula quaedam, quibus Lucianus plerumque singulas periodos conectere solet:

ἐν τούτῳ. — asin. 4. 25. in. 42. med. 55. κἀν τούτῳ 18. in. ἐν τούτῳ cf. Eunuch. 10 in. Sympos. 43. al.

ἐντεῦθεν et τοὐντεῦθεν. asin. cap. 39. cf. Dionys. 7. deor. concil. 15. Alexand. 9, 57. al.

ἐνταῦθα et κἀνταῦθα asin. 40, 41, 56. cf. Ver. hist. I, 17, II, 27 (bis) Dion. 6. mar. dial. 2, 2, al.

---

[1]) thesaur. ling. gr. Paris. Vol. VI p. 1603 D.

[2]) Quae pauca exempla desumpsi e libris a Bekkero in subditiciso relatis, ea uncis inclusi.

Quin etiam particulae τότε geminatae (τότε δὴ τότε) in aliis quoque Luciani libris exempla satis multa extant: asin. 30. — conf. de merced. cond. 11., de hist. conscr. 51. de luctu 24 (encom. Demost 48, de sacrif 14.)

g) Saepissime vero Lucianus, ubi narrare pergit, participiis, quae sunt ἀκούων, ὁρῶν, ἰδὼν, ἐννοῶν, alia, cum accusativo pronominis οὗτος coniunctis uti solet. Videas enim Icarom. 14. ταῦτα εἰπὼν Jupp. trag. 16. init. ταῦτα ἐννοῶν. Ver. hist. II, 31. τούτους ὁρῶν II, 41. ταῦτ' ἰδόντες. Hercul. ταῦθ' ὁρῶν. Quom hist. 4. τοιαῦτα ὁρῶν καὶ ἀκούων. Similiter dicta sunt in asin. cap. 3. ταῦτα εἰπόντος, ταῦτα εἰπούσης. cap. 5. ταῦτα λέγων πρὸς ἐμ. 23. ταῦτα ἐννοούμενος.

Venimus iam ad alterumgenus verborum, quibus enumerandis Lucii orationem Lucianeaeesse simillimam ostendamus. Satis enim multae locutiones apud alios scriptores non ita usitatae cum in aliis Luciani libris tum in asino nobis occurrunt. Quem in numerum haec potissimum mihi videntur referenda:

asin. 2. ἐντυγχάνειν τοῖς γράμμασι pro legere. Lucianus non modo hanc locutionem saepius usurpat, sed etiam participio (οἱ ἐντυγχάνοντες) nude posito utitur, ubi latine dicimus lectores. Cf. Ver. hist. I, 4. Quom. hist. 9. Alexand. 21. Philops. 2.

cap. 2. ἀνεξίκακόν. Hoc vocabulum non ita volgare Luciano non fuisse ignotum ostendit Iudic. voc. 9. ἀνεξίκακόν εἰμι γράμμα.

παιδίσκη, παιδισκάριον (cap. 3.) παιδάριον. Horum substantivorum neque formam neque vim ab eo modo, quo Lucianus aliique scriptores ea usurpare solent, recedere testis est Lobeck, qui[1]) accuratissime de hac re disputat. Idem (p. 74.) formam apud optimos auctores non usitatam, quae est κοράσιον (capp. 6, 36), Luciano vitio vertendam esse negat, sed familiaris et vernaculi sermonis eam propriam esse ratus, aeque atque in Platonis epigrammate[2]) εὐτελές positam esse censet. Addit deinde: Quis non idem ludicro Luciani stilo concedat, quem bis hoc vocabulo usum esse adnotant?

cap. 4. ἀμείβομαι αὐτῇ ὁμοίως. Fuerunt qui Lucianum vituperarent, quod cum verbo ἀμείβεσθαι dativum coniunxisset.

[1]) Phrynich. edid. Lob. p. 239—40 adnot.

[2]) Diogen. Laert III, 33.

Sed cum satis mihi patere videatur, dativum αὐτῇ pendere ex ὁμοίως et verbum illud absolute esse positum: huius ipsius vocabuli ἀμείβεσθαι usum ab oratione Lucianea nihil alienum esse putaverim. Similes enim loci extant: Somn. 15. ἀμείψομαί σε τῆςδε τῆς δικαιοσύνης. dial. deor. 20, 16. νυμφαγωγὸν ἀμείψασθαι τῇ κρίσει.

εὐκαταφρόνητος saepius in Luciani scriptis reperitur: dial. mort. 14, 3. εὐκαταφρόνητον τὸ ἔργον, Somn. 5. εὐκαταφρόνητα ἀκούσεσθε. Tim. 32. εὐκαταφρόνητος καὶ εὐαδίκητος. Gall. 23. οὐκ εὐκαταφρόνητον ἀνταγωνιστὴν dial. mort, 12, 5; 12, 7,

ἰταμός non semel apud Lucianum extat. Cf. Vitar. auct. 10. ἰταμὸν χρὴ εἶναι Fugit. 19. ἰταμόν δεδορκότες. Icarom. 30. ἰταμώτατος· μέγα ἀνακαγχάσασα. Simillime sunt dicta: Pseudol. 7. μέγα ἀνακαγχάσας (de luct. 19. παμμέγεθες ἀνακαγχ). Jupp. trag. 31.

cap. 11. ἀδαμάντινον. De huius vocis usu nonnulla refert Schwidop, (observatt. Lucian. 1848 p. 5). Alia deinde protulit exempla Jacobitz in indice graeco (Vol IV p. 351.), ex quibus haec duo exscripsi: Philops, 29. τὸν ἀδαμάντινον πείθομεν. Alexand. 17. ἀδαμαντίνην τὴν γνώμην ἔχων.

κεκτημένος et κεκτημένη tam saepe cum apud veteres auctores tum apud Lucianum posita inveniuntur, ut exemplis non opus sit.

cap. 12. Porro est notabilis frequens verborum οὐδὲν ἄλλο ἤ (nihil aliud ac) usus, cuius quattuor exempla in Lucio habemus: cap. 12. καὶ ἦν οὐδὲν ἄλλο ἢ κτλ. 13. καὶ τούτους οὐδὲν ἄλλο ἢ ὁπλάς. 16. οὐδὲν ἄλλο ἢ ὠγκώμην. 31. οὐδὲν ἔφερον ἄλλο ἤ. — Neque tamen haec locutio a Luciani consuetudine recedit, cum etiam in libris, quos nemo adhuc spurios iudicavit, nobis occurrat. Phalar. II, 2. οὐδὲν ἄλλο ἢ ἱεροσυλία. Sympos 36. οὐδὲν ἄλλ' ἢ τοῦτο σκοπεῖτε. Dial. mar. I, 3. οὐδὲν ἄλλο ἰδὲ ἢ χρόαν λευκήν. (Demosth. enc. οὐδὲν ἄλλο ἢ προςκυνεῖν).

Atque etiam dicendi elegantia, quae inest in verbis τί δέ ἄλλο ἢ ἐπιῤῥίψωμεν pro τί δὲ ἄλλο ποιῶμον ἢ ἐπιῤῥίψωμεν, cap. 12. nonnusquam in Luciani scriptis invenitur: adv. ind. 17. τί ἄλλο ἢ ὠνεῖται Hermot. 83. τί δ' ἄλλο ἢ ὅτι δέω Philops. 29. τί δ' ἄλλο ἢ τοῦτον πείθομεν.

cap. 17. *ἀσχολούμενους περὶ τὸ ἄριστον* in aliis Luciani libris non semel extat. Cf. de dom. 17. *ἀσχολεῖσθαι περὶ τὴν θέαν*. Hermot 17.

Cap. 20· *τὰ ἐν ποσί* est locutio Luciano maxime usitata. Videas enim: Quom. hist. 2; 42, dialog. mort 13, 3. Jupp. trag. 31.

εἰς ῥόδα ἐμπεσεῖσθαι. cap. 8. *εἰς Πάλαιστραν ἐμπέπτωκας*, 50. *εἰς ἔρωτα θερμὸν ἐμπίπτει*. Quae verborum constructio haud inusitata est. Tim. 22. *ὁ δὲ ἐμπεσὼν ἐις ἐμέ*. 25. *ἐς τοὺς τοιούτους ἐμπίπτω* bis accus. 5. merced. cond. 1. Hermot. 59. adv. ind. 12. *πρὸς ἔρωτα ἐμπεσεῖν* Cobet rectissime correxit in *εἰς ἔρωτα ἐμπ* [1]).

σκευάσασα ἔχω. cf. Alexand. 51. *ὃν ἐγὼ θαυμάσας ἔχω* (Lexiph. 17. *ὅπου κατακλείσας ἔχεις*, Demosth. enc. 32. *εἶχον θαυμάσας*). Sed de hac re videas Cobetum p. 115. Valckenarii ad Phoeniss. 712 adnotationem laudantem.

πρὸς τὸ πῦρ ἠλείφοντο, cap. 24. *πρὸς τὴν σελήνην ἔγνωσαν*. Hic praepositionis *πρός* cum accusativo coniunctae usus satis dignus mihi videtur, qui notetur. Atque equidem ex ea significatione, quae respondet vocibus latinis ad, secundum (gemaesz) eum profectum esse existimo. Tali enim modo ubicunque nobis occurrunt, haec verba facillime explicari possunt. Etenim ut notissimum illud Graecorum *πρὸς αὐλὸν ὀρχεῖσθαι* (ad tibiae cantum) significat eum, qui tibiae modos saltando imitetur (qui ita saltat ut fert modorum natura), ita etiam verbis *πρὸς τὴν σελήνην* mihi videtur exprimi, contra naturam fuisse, nisi latrones luna lucente fugitivos statim adgnovissent. Itaque perspicimus unde fiat, ut interdum in eiusmodi locis praepositio *πρός* pro Graecorum dativo aut Latinorum ablativo, qui dicitur causae sive instrumenti, posita esse videatur. Quid enim aliud significat *ἐκταραχθεὶς πρὸς τὸν τῶν πληγῶν φόβον* (Somn. cap. 16.), nisi quod exprimere solemus verbis: *φόβῳ τκἐαραχθείς*? Similiter est dictum illud *πρὸς τὸ μέγεθος ἐκπεπληγμένον* (Jupp. trag. 18.), cui addas *πρὸς ἕκαστα ἐκπεπληγμένος* (de merc. cond. 16). *ἐκηλούμην πρὸς τὸν λόγον* (Hermot. 9.) *ὁ κηρὸς ἐτάκη πρὸς τὸν ἥλιον* (Icarom. 3). Neque tamen primo adspectu verba *πρὸς τὸ πῦρ ἠλείφοντο* (asin 20.) eodem modo interpretari ausim, cum neque flammae natura

---

[1]) Var. lection. p. 272.

tulisse videatur, ut sese unguerent, neque ignis causa fuisse, cur ita facerent. At, dixerit aliquis, hunc quoque locum ita explicare possumus, ut flammae natura et ignis calore eos quasi invitatos esse dicamus, ut prope adstantes se unguerent. Ut enim antea verba *κηρὸς ἐτάκη πρὸς τὸν ἥλιον* interpretati sumus (das Wachs schmolz, wie es bei der Wärme der Sonne natürlich war), ita horum quoque verborum est sententia: sie salbten sich dort, wie es bei der Wärme des Feuers natürlich war. Et profecto! Haud scio an haec vis in verbis inesse possit. Sed quoniam illam sententiam nimis quaesitam et a Graecorum oratione satis alienam esse arbitror, Lucianum dicendi formula saepius a se usurpata in cap. 20 asin. nimis audacter usum esse profiteri maluerim.

αὐτοσχεδίῳ λουτρῷ cf. bis accus. 6 *αὐτοσχέδιοι φιλόσοφοι* deor. conc. 13. *αὐτοσχέδια ὀνόματα.*

οὕτως ὡς εἶχον ἀναστάντες cap. 22. Est Luciani moris, si quid temere vel illico factum esse narrat, verbis inserere vocabula *ὡς εἶχον* vel *ὡς ἔτυχον*. Cuius rei cum multa exempla extent, haec pauca adferre mihi liceat: Icarom. *ἀναπαυόμεθα ὡς εἶχεν ἕκαστος* bis accus. 17. *ἀποδρὰς ὥσπερ εἶχεν ηὐτομόλησε.* Menipp. 7. Tim. 39. Icarom. 22.

Cap. 25. *εὖ μάλα* in earum locutionum numero est habendum, quae in omnibus auctoris Samosatensis libris saepius leguntur Cf. Catapl. 1. *εὖ μάλα παρεσκευασμένος* Tim. 8. *εὖ μάλ᾽ ἐπιμελῶς* quom. hist. 42. Icarom. 36, (Nigrin 27.)

Cap. 27. *ὑπαίθριος* esse formam Luciano usitatam Fritzsche nos edocet, qui locos ex merced. cond. 14. Necyom 17. dialog. deor. 19, 1. desumptos adscripsit.[1])

Cap. 31. Verbum *ἐνσείω*, quamvis non ita volgare sit, apud Lucianum etiam in merc. cond. 30. et apol. pro merc. cond. 1. inveniri — ubi perfectum *ἐνσέσεικα* legimus — Jacobitz in indice p. 491. adnotavit.

Cap. 37. *ἐν ἀκαρεῖ.* Hanc locutionem et addito et omisso substantivo *χρόνου* invenimus. Nude *ἐν ἀκαρεῖ* genetivo temporis non adiecto usurpatum est: Jupp. conf. 8. de mort. Pergr. 21. Fugitio 21. Scyth. 8. dial. meret. 2, 1.

[1]) Fritzsche, de atticismo et orthograph. Luciani P. I. Rost. 1828. p. 15.

Cap. 47. *ἐπὶ τοῦ δεσπότου ἐαλωκώς*, coram domino convictus. Persaepe Lucianus in praepositione *ἐπὶ* cum genetivo coniuncta eandem vim inesse voluit atque in Latinorum vocabulo coram, ita, ut *ἐπὶ τοῦ δεσπότου* significaret *παρόντος τοῦ δεσπότου.* Cuius rei exempla haec videbis: Piscat. 40. *ἀπο λογησομένους ἐπὶ τῆς Ἀρετῆς.* Catapl. 18. Alexand 44. *ἐπὶ πολλῶν παρόντων* Philops. 22. *ἐπί μαρτύρων* de mort. Peregr. 1. *ἐπὶ τοσούτων μαρτύρον.*

τοῦτο μὲν-τοῦτο δὲ pro *καὶ-καὶ* apud Herodotum non raro positum esse inter omnes constat. Atque etiam Lucianum frequentem fuisse in his vocabulis usurpandis rectissime Sommerbrodt adnotavit ad Nigr. capp. 16, 18, 35.

Cap. 51. *ὑποβεβρεγμένος* is dicitur a Graecis, qui a Latinis madefactus, ebrius. Cf. dial. deor. 23, 2; *ἱκανῶς ὑποβεβρ.* Icarom. 27. Gall. 8.

Tum de eis vocabulis et locutionibus dicendum mihi videtur, quae quamvis aut perraro aut nusquam apud optimos scriptores Graecos inveniantur, tamen nos permovere nequeant, ut asinum a Luciano abiudicemus, cum in ceteris eiusdem auctoris scriptis non semel nobis occurrant.

Quibus ea addere non dubito, quae exemplis ex Luciani libris petitis non confirmentur, sed ita facillime explicari possint, ut ad similes dicendi formulas referantur aut ex similiter dictis profecta esse iudicentur. Tali enim modo nonnulla defendi posse arbitror, quae primo adspectu non modo ab oratione Lucianea sed etiam a sermone graeco aliena esse videntur. Quid enim? si in omnibus Luciani scriptis non facile invenies verba quae leguntur in asin. cap. 22. *μεσούσης τῆς νυκτός*, num ea ideo illo auctore prorsus indigna esse censebis? Nonne facillime accidere potuisse putabis, ut scriptor, qui verbis *μεσούσης τῆς ἡμέρας* saepius usus esset [1]), a volgari dicendi consuetudine recederet et illam locutionem imitatus hanc effingeret simillimam *μεσούσης τῆς νυκτός*? — Attamen in hac re eo non progrediemur, ut res, quae veras difficultates praebeant, temere brevi tollamus. Sed iam singula videamus. Ac primum quidem ea proferenda mihi sunt, quae etsi cum veterum auctorum oratione non concinunt, tamen, cum et Lucianum et alios illius aetatis viros eis nonnunquam usos esse cognoscamus, non tam

[1]) cf. Schwidop. observatt. p. 33.

libellum, qui inscribitur Lucius, in auctoris Samosatensis scriptorum numerum inrepsisse ostendant, quam sermonis graeci eo tempore deflorescentis speciem prae se ferant.

Verbum ἔοικα apud recentiores, maxime coniunctum cum infinitivo futuri temporis, sive addito sive ommisso pronomine ἐμοί, Latinorum verbis, quae sunt mihi videor, in animo habeo, arbitror, nonnunquam respondere inter omnes satis constat. Cuius rei exemplum habemus in asin. cap. 4. ἔοικα διατρίψειν (mansurus esse mihi videor.) Deinde simillime sunt dicta, quae legimus in cap. 12, ubi solum verbum ἐδόκουν eandem vim habet atque ᾤόμην. Habemus enim in cap. 12, ἔλαιον ἐδόκουν εἶναι, oleum esse putavi. cap. 40. λυττᾶν δόξαντές με me rabidum esse arbitrati. Verumtamen cavendum est, ne haec singulariter dicta et Luciani sermoni satis puro parum apta esse censeamus. Quam opinionem quominus concipiamus hi loci nos prohibent: Cap. 6. ἔοικα καταβήσεσθαι descendere in animo habeo. De lapsu int. sal. 19. ἔοικα ἄλλο τι φοβήσεσθαι (Lexiph. 19. ἔοικα ῥιναυλήσειν). — Dial. mar. 1, 4 ὄνον ἄν τις ὀγκᾶσθαι ἔδοξε.

Deinde recte C. Fr. Hermann mihi laudasse videtur God. Hermannum, quod (ad Viger. p. 923.) proprium esse iudicasset cadentis linguae, coniunctivi et optativi officia permutare; namque ut in permultis recentiorum scriptorum locis optativum positum videmus, ubi coniunctivum expectamus, ita non semel, etsi multo rarius, etiam pro hoc illum usurpatum esse cognoscimus. Itaque quae inveniuntur in asin. Cap. 6, συνέκειτο ὅπως ἔλθῃ, quod quidem levissima immutatione (ἔλθοι) in ordinem redigi potest, et in cap. 36 συνέκοπτε ἕως ἐπεγείρωσι, ea ab oratione Lucianea adeo abhorrere nunquam concedam, ut ab alio scriptore profecta sint putanda.

Tum exemplis non ita paucis confirmare possumus, Lucianum saepius quamlibet pronominis ἑαυτοῦ, formam usurpare, ubi praestantissimi auctores ἑαυτοῦ, σεαυτοῦ, ἡμῶν ὑμῶν αὐτῶν dicere solent (Herm. ad. Viger. p. 165). Et quoniam non omnibus locis, ubi hic usus extat, emendando mederi possumus — vix enim credibile est ἑαυτούς calami lapsu ex ἡμᾶς αὐτούς profectum esse — ne Bekkero quidem, ubicunque littera a inserta ἑαυτὸν in ἐμαυτὸν mutari potest, dictionem in ordinem redigere conato adsentiri voluerim. Neque in hoc vocabulo emendando Bekker sibi constitit. Qua quidem in re vitio ei

non verterim, quod nonnunquam, ubi littera *σ* antecedit, *σεαυτὸν* scripserit pro codicum lectione *ἑαυτόν*, cum facillime alterum *σ* excidere potuerit; id autem miror, quod in tribus eiusdem generis locis (de saltat 5. *παράσχοις ἑαυτόν*, Pseudol. 3 *ἐς ἑαυτὸν παρανομεῖς* 31. *ἐς ἑαυτὸν παροινῶν*) volgatam scripturam servaverit. Itaque cum ne Bekker quidem in aliis libris omnia eius modi exempla emendare ausus sit, equidem diiudicare nolim, utrum in quattuor Lucii locis (13. *ἑαυτὸν ἑώρων ὄνον* 26. *ἀνέστενον ἑαυτὸν* 31. *ἑαυτὸν ἐνσείσαιμι*, 33. *ἑαυτὸν ῥῖψαι*) lectio a viro illo doctissimo proposita recipienda sit, an optimorum librorum scriptura retinenda. Id autem dubitare non possumus, quin *ἑαυτούς* in cap. 8. positum integrum relinquamus (pro *ἡμᾶς αὐτοὺς*) cum eiusdem rei exemplum habeamus in Ver. hist. I, 6. *παραδόντες ἑαυτοὺς ἐχειμαζόμεθα*. Quae cum ita sint, satis ostendisse mihi videor, quinque illis locis ex asino petitis non posse nos permoveri, ut Luciani orationem ab hoc libello tam discrepare putemus, quam nonnulli dixeriut.

Quae vero in cap. 14. *δείσαντες μὴ ἐπεισέρχομαι* et 53. c. f. *ἐδεδίειν μὴ ἀναπηδήσεται* legimus, ea non ab optimorum scriptorum dictione prorsus aliena esse demonstravit Krueger gram. 54, 8, 12. his verbis: Mit dem Indicativ findet sich *μή* auch nach den Begriffen des Fürchtens, vielleicht insofern es eigentlich Fragewort ist: ob nicht. Neque ullam huius rei mentionem fecissem nisi quis immutationis levitate facile perduci posset, ut optativum aut coniunctivum ederet.

Multo autem magis offendit, quod quater post particulas *ἐπεί, ἐπειδάν, ἤν,* optativum invenimus, quod Bekkero tam inusitatum est visum, ut ubique aut *ἐπεὶ* aut *ἐπειδή* aut *εἰ* legendum esse arbitraretur. Neque tamen Bekkeri auctoritatem sequi possum, bene de hac re C. Fr. Hermannum disputasse ratus, qui hunc in modum verba facit:[1]) „Omnino si qui loci levissima immutatione facta, quales imprimis dico eas, quae iotacismum corruptionis auctorem prae se ferunt, in ordinem redigi queant, facile adsentiar; ad difficiliores mutationes ne codicum quidem auctoritate, quos Atticistarum correctiones passos esse persuasissimum habeam, adduci me patiar.“ Itaque in disp. c. Hesiod. 7. concinnitatis restituendae gratia *καλύψαις* scribere mavult, quam coniunctivum *ἐπιφορῇ* ponere pro vol-

---

[1]) L cian, de histor. conscrib. edid. Hermann p. 33. sqq.

gata lectione, quae est ἐπιφοροίη. Idem Schaeferum laudat, quod in melet. crit. p. 87 eos, qui talia citerioris graecitatis propria dicant, recordari iusserit, etiam in vetustissimis scriptis exempla huius constructionis inveniri et quod in ipso Luciano tot locos reperiri existimaverit, ut non audeat ubique aut coniunctivum invehere aut alia ratione soloecismo, qui volgo videtur, mederi. Atque ut meam ipsius de hac re opinionem proferam, Lucianum, quem non ubique discrimen inter optativum et coniunctivum servasse iam supra demonstravimus, ne hoc quidem crimine liberandum esse puto, sed eo progressum eum esse nego, ut sine ulla lege in hac re versaretur. Nusquam enim optativum ab eo usurpari facile intelliges ex exemplis ab Hermanno p. 33. adlatis aliisque — ut piscat. 33. ἤν τις ὑποκρίνοιτο, dial. meret. 4, 5. ἐπὰν ἀπολίποι — nisi in oratione obliqua aut in significanda re saepius facta et repetita. Itaque in asino quoque particulae illae, ubi cum optativo coniunctae sunt, ita positae esse mihi videntur, ut Latini dicunt quotiescunque, vel ut nos dicimus „jedesmal wenn". (asin. cap. 30. ἐπειδὰν ἴδοιμι, ἄν ποτε δέοι 37. ἐπειδὰν εἰςέλθοιμεν, ἐπειδὰν κατακόψειαν).

ἃ μὲν — ἃ δὲ pro τὰ μὲν — τὰ δὲ (cap. 23.) etsi ab antiquissimorum sermone recedit, tamen non semel aqud Lucianum invenitur Tim. 57 ᾧ μὲν ᾧ δὲ Rhet. praec. 15. ἅ μὲν — ἅ δὲ.

Longum est dicere de declinationis formis non ita usitatis (οἶδας cap. 11. συναποδράσαντος cap. 27. ἤμην cap. 15, 46.), cum Lobeck[1]), Struve[2]), alii satis demonstraverint, Luciani libros, etsi a multis, tamen non ab omnibus eius modi vitiis vindicari posse.

Reliquum est, ut de tribus exemplis pauca dicamus, quae quamquam cum nullo fere loco Lucianeo accurate congruunt, ferri tamen possunt, cum sermonis graeci et usui et ingenio satis respondeant. Etenim, quae legimus in cap. 22. ἡ παρθένος πάντα ἔκλαε, ea neglectis omnibus, quae in editione Reitziana diligentissime congesta sunt, haud difficile ita explicari possunt, ut eodem modo dicta esse iudicemus atque τὰ πολλὰ vel πολλά (saepe.) Itaque ut vernaculo sermone τὰ πολλὰ reddimus „oft", ita πάντα interpretari possumus: „immer, in einem

---

1) ad Phrynich. p. 236, 737, 152.
2) lectiônes Lucian. p. 17-

fort." Quod quidem iam Wieland optime perspexisse videtur, qui (tom. IV, p. 253.) scripsit „der alle Minuten zu Boden fällt" (*πάντα καταπίπτων*). Verba autem, quae sunt *πάντα ἔκλαε* parum recte cognovisse est putandus, cum pro, „bitterlich weinte" dicere deberet, „in einem fort weinte".

Alterum locum habemus in cap. 23, ubi verbum *ἀνακράζειν*, quod fere ubique intransitive poni solet, cum accusativo quem dicunt obiecti, coniunctum est. Quam locutionem tantum abest ut a Graecorum consuetudine prorsus abhorrere putem, ut hanc dicendi rationem et apud Latinos et apud Graecos non inusitatam esse arbitrer. Nam moris est Latinorum, si quem nomine appellant, verbis appellandi vel exclamandi non nominativum aut vocativum casum adiungere, ut nos facimus, sed accusativum (Cf. Cicero Phil. II, 12, 30. M. Brutus cruentum pugionem tenens Ciceronem exclamavit). Itaque cum etiam Graeci hoc usu admodum delectentur, facillime Lucianus, ubi brevissime narrat, virginem auxilio esse vocatam ab anu muliere, — quae exclamasse est putanda: heus tu virgo, *ὦ παρθένε* — morem illum secutus scribere potuit: *ἀνέκραγε τὴν παρθένον.*

Tum si primam verborum significationem respicimus, cap. 44. *ἀνόητος ὢν τῆς φωνῆς* non minus recte nobis dicta videntur, quam *ἀναίσθητον αὐτῶν* et similia de mort. Per. 42. Navig. 40.

Neque tamen omnes sermonis difficultates, quae in asino extant, exemplis illustrari possunt: magna pars errore scribarum inrepsisse est existimanda. Recte enim iudicant Courier et Wieland, Lucium sive asinum inter eos Luciani libros referendum esse, qui plurimis vitiis maculati ad nostram memoriam pervenerint. Multa quidem tacite emendavit Bekker (ut in cap. 2. absurdum illud *παῤ ἐμοί* aliaque), multa Courier acutissime correxit, sed eorum quoque diligentiam nonnulli loci effugisse mihi videntur, quorum difficultatibus facillime mederi possimus. Jamque ea enarrare mihi liceat, quae ut magis cum oratione Lucianea conveniant, corrigi voluerim:

In cap. igitur 22 ante vocem *χρυσίον* negationem *οὐ* inserendam esse censeo, ad quam *οὐδὲ*, quod sequitur, referatur. Deinde in cap. 31, ubi futurum medium *ὀπτήσομαι* omnes pro passivo positum esse putaverunt, *ὠπτήσομαι* scribendum mihi videtur, ut infra Lucianus dixit *πεπράξεται.* De futuri, quod dicitur, tertii apud Lucianum aliosque usu satis multa verba

facit Cobet var. lect. p. 116, 117. — Tum mirum est, quod nemo adhuc in verborum ordine (cap. 37 *ὁ δὲ αὐλητὴς ἐφύσα ὅμιλος ἔνθεον*) offenderit, quamquam satis constat, Lucianum in hoc libello ab artificiosa verborum collocatione abstinuisse. Neque negligendum est, quod Appuleius, ubi eandem rem narrat, lib. VIII, p. 580, non tibicinum catervam (*ὅμιλος*) adfuisse dicit, sed unum tibicinem. Id enim intelligi posse arbitror ex eius verbis hisce: incitante tibiae cantu lymphaticum tripudium. Quam ob rem Lucianum scripsisse credo: *ὁ δὲ αὐλητής ἐφύσα μέλος ἔνθεον*, quae mirum in modum congruunt cum extr. cap. 48. *κώδωνες μέλος μουσικώτατον ἐκφωνοῦντες*[1]) — Tum adiectivi forma *πετεινός* apud Lucianum nusquam invenitur nisi in asin. cap. 24. Sed ne hac quidem in re auctor a consuetudine sua recessisse mihi videtur, cum iotacismo, quem vocant, factum esse censeam, ut pro *η* scriberetur *ει*, et tum *ε* interponeretur. Itaque si veram lectionem efficere velimus, scribendum nobis esse existimo *πτηνός*. — Tum a me observatum est, Lucianum verbum *συγκλείειν* nunquam usurpare, nisi pro Latinorum „obcludere" (ut *θύρας συγκλείειν*, portas obcludere.) Atque in ipsius asin cap. 2, 47 hic verbi *συγκλείειν* usus exstat; in cap. 45 (*κἀκεῖ με συγκλείουσι*) eandem habet vim atque „includere". Quod adeo suspectum nobis est visum, ut levissima immutatione *ἐγκλείουσι* restituere conaremur.

At his omnibus, de quibus dixi, difficultatibus sublatis multa etiamtum in hoc libello inesse negare non possumus, quae a volgata et trita dicendi ratione alienissima sint. Qua in re ante omnia videamus oportet, ne vocabula, quibus Lucianus, ut certam vim subiiceret, singulariter et insolenter est usus', documenta esse putemus sermonis corrupti et depravati. Imprimis autem duo genera loquendi formularum statuenda esse arbitror, quas auctor interdum adhibuit, ut stilum ridendum et narrationem quasi comicam efficeret; unum earum, quas aut ipse sibi finxit aut ex volgari hominum sermone recepit, alterum quas a poetis, maxime ab Homero, transtulit. Nam iure iam supra (p. 38). Lobeckium monuisse diximus, ut ca-

[1]) Paucis diebus postquam haec conscripsi, Cobetum vidi eandem coniecturam proposuisse, in var. lect. p. 160. Is tamen rem absolvit his paucis: In 212, 37. nescio quomodo concoquant *ὁ δὲ αὐλητής ἐφύσα ὅμιλος ἔνθεον* pro. *μέλος ἔνθεον*. Trita sunt *αὐλεῖν μέλος*, *ᾄδειν μέλος φυσᾶν μέλος Ἰωνικόν*, *Καρικόν*, alia. Plato comic. ap. Athen. XV. p. 665 C.

villanti et acerbae Aristophanis Musae, ita etiam ludicro Luciani stilo multa licere, quae ab aliorum scriptorum orationis austeritate ac severitate discrepent. Idemque Lobeck[1]) recte adfirmavit, verbum σκορπίζειν, quod Atticae genti insolens neque ante communis linguae incrementa extra Ionicae dialecti fines evagatum esset, a Luciano usurpatum esse, ubi mulionem, de plebe hominem, loquentem induceret. (in cap. 32 s. 1.) Et profecto! mirum est, in ipsis sermonibus a praedone (cap. 25) et a mulione (cap. 32) habitis multa inveniri, in quibus offendamus. Cuius rei tot exempla sunt, (ut cap. 25 ἐδράξατο — gepackt hätte — κεφαλὴν πρόχειρον, καθεψεῖσθαι, μηδ' ἑαυτὴν ἀποπνῖξαι, σκώληξι πεφυρμένη cap. 32. ἐσκόρπισεν, ἐπὶ γυναικὶ κινούμενος.) ut auctor ex agresti illa rusticanorum dicendi ratione in has libelli partes aliquid transtulisse sit putandus. Neque ullam cur ita fecerit, causam invenio, nisi ut hac insolenti oratione lectorum animos delectet. Quid? quod etiam in eodem mulionis sermone verbum γαμεῖν lascivo et spurco sensu positum, quod Cobet vehementissime reprehendit (Var. lect. p. 78), non tam scriptoris orationi vel graecitati opprobrio faciam, quam illi ipsi novitatis in insolitis verbis ostentandae studio tribuam? Deinde ipsum Lucianum vocabulis quibusdam facete usum esse loci satis multi ostendunt; ex quibus nomino cap. 5: ἀποδύου εἰς τὴν Παλαιστραν. Nemo enim ignorat verbo ἀποδύεσθαι, quod saepissime a Graecis usurpatur, si quis ad colluctandum se paret, aptissime usum esse auctorem adludentem ad veram nominis παλαίστρας significationem (Cf. L. Dindorf in thesaur. ling. gr. s. v. ἀποδύω): Aliae autem voces, quas Lucianus, ut orationis novitate ludicrum illum stilum efficeret, recepisse mihi videtur, in hisce locis inveniuntur: cap, 16. κερδαίνεν τὸ μὴ παίεσθαι. 18. ὥσπερ δυνάστης μισοπόνηρος. 25. ἐργαστήριον — ita enim praedonum spelunca appellatur — ἀρχιτεκτόνημα (crudelissimum illud praedonis consilium) 31. μέγα κακὸν τυρεύειν (parare). Quid? quod verbum ἀναπίπτειν pro ἀνακλιθῆναι dictum, in quo Phrynichus (ed. Lobeck p. 216.) valde offendit, tali modo explicandum esse arbitror? Ut enim God. Hermann hoc vocabulum in Euripidis Cyclope, ut in fabula ludicra, defendi posse censuit, ita in hoc libello Lucianum — haud scio an verbis illis Euripideis bene cognitis

---

[1]) ad Phrynich. adnot. p. 218.

— facete aviditatem et impetum, quo latrones ad cenam se proripuissent, quasi depinxisse existimo.

Quin etiam nonnullis vocibus significationem a sermonis consuetudine discrepantem subiectam esse videmus, quod quidem auctorem nullo alio consilio ductum fecisse putaverim, nisi ut rebus ridendis lectores gauderent. Nam cap. 37. Lucianus Lucium *θεοφόρητον* se appellantem facit, (numine actum), cum dicere deberet *θεοφόρον* (qui deam gerit). Qua in re eorum sententiae adsentiri nequeo, qui *θεοφόρητον* sine ulla ambiguitate positum esse putent, sed cinaedorum, qui numine se actos esse simularent, asinum et ipsum divino quodam spiritu fuisse inflatum auctor significasse mihi videtur, vocabulorum illorum similiter sonantium vi commutata. Ceterum suffragatur mihi Lehmann in edit. Vol VI, p. 541. Sed quod legimus cap. 35 *εὔφημος κῆρυξ*, id utrum emendatione (*εὔφωνος* Bekker) tollendum an facete dictum putandum sit (der wohlberufene Herold) diiudicare vix ausim; hanc autem alteram sententiam si subiicere velimus, vocabulum non minus frigere mihi videtur, quam Wielandio illud: *τὸν θάνατον ὀρχούμενος* (cap. 19.)

Sed iam redeundum nobis est ad ea, de quibus iam supra pauca diximus. Ostendimus enim (p. 37.), Lucianum dicendi genere sublimi et magnifico saepius usum esse in rebus levissimis enarrandis, ut ludicram illam orationem exigeret. Nulla autem re facilius sublimitatis speciem consequi potuit, quam locutionibus in suos libellos translatis, quae nisi in antiquissimorum poetarum carminibus non inveniantur. Nam mos est omnium fere comicorum, ut exoletis verbis in fabulas inlatis risum moveant. Itaque etiam in libello, de quo agimus, permulta invenimus, quae ex Homeri, poetae illius divino fere honore ornati, poematis videntur petita esse. Nimirum verba antiquissimi poetae gravissima ioculari fabellae argumento ridicule repugnant. Cuius rei tot tamque varia in asino exempla extant ut ea casu inrepsisse putari nequeant, sed a Luciano plerumque voluntate et iudicio inserta sint iudicanda. Maxime autem contra eorum opinionem est pugnandum, qui ex his vocabulis poetarum more dictis hunc libellum a Luciano esse abiudicandum concludant. Ac ne quis in hunc errorem incidat, operae fortasse pretium est, voces illas enumerare et unde desumptae sint adscribere:

ἀργαλέος quater in asino invenitur cap. 1. *ἀργαλέα ὁδός*

(cap. 34, 42); deinde *ἀργαλέῳ δεσμῷ προςέδησεν*. Facile autem intelliges haec verba cum versu Odyss. 12, 119 ita congruere, ut inde sumpta esse videantur.

Cap. 2. *τράπεζα παρέκειτο*, 33. *καὶ τράπεζα ἡμῖν παρέκειτο* cf. Iliad. 24, 476: *ἔτι καὶ παρέκειτο τράπεζα.*

ἐξοχώτατος. ἔξοχος apud Lucianum nusquam inveni, nisi in locis ex poetarum libris desumptis. Nam Char. 8 *ἔξοχος ἀνθρώπων* sunt verba Homeri Il. 3, 226; ut Piscat. 41 respondet Il. 18, 507; Gall. 7 *μεγάνορος ἔξοχα· πλούτου* in Pindari carmine notissimo inveniuntur. Etiam superlativi forma, quam apud Homerum non legi, a Luciano ex Pindar. Nem. 2, 27 *ἀμφ' ἀέθλοις ἐξοχώτατοι* aut Nem. 4, 150. *ἐξοχώτατα φάσθαι* transscripta mihi videtur.

Cap. 5. *ἔνθεν ἑλών* est formula homerica. Odyss. 8, 500 *φαῖνε δ' ἀοιδὴν "Ενθεν ἑλὼν ὡς οἱ μὲν ἀπέπλεον*, inde sumens materiam canendi.

13. *βλέφαρα* saepissime a poetis dictum esse, ubi ex Germanorum usu *ὀφθαλμοί* expectamus, exemplis non opus est confirmare.

22. *ἐν προδόμῳ*. Notandum est, hoc vocabulum apud prosae orationis scriptores plane inusitatum, apud Homerum saepissime cum ipsa praepositione *ἐν* coniunctum extare.

24. *σαρδόνιον γελῶντες* invenitur apud Homerum Odyss. 20, 302. *μείδησε δὲ θυμῷ Σαρδάνιον μάλα τοῖον.*

31. *λὰξ ἐκίνησα.* Verba *λὰξ ποδὶ κινήσας* Luciano ante oculos versabantur (Il. 10, 158 Odyss. 15, 45.) Etiam in Lexiph. 10, qui quidem liber a nonnullis spurius habetur, poetae cuiusdam verba inesse existimo, cum unius vocabuli sede mutata iustus versus efficiatur: *ἀμηγέπη*

δίκην ἔδωκ' ἢ λὰξ πατήσας ᾤχετο.

In tertio autem loco (Sympos. 45. *ἐτρώθη λὰξ ἐς τοὺς ὀδόντας*) *λὰξ* nude positum est.

33. *ἐῤῥύσατο.* Haec forma non tam Luciano quam Homero est tribuenda, quem (*ἀλλ' οὐδ ὣς ἑτάρους ἐῤῥύσατο ἱέμενός περ* Odyss. 1, 6; al.) respexisse ille mihi videtur.

Sed in vocabulo *ἀγέρωχος* cap. 40. *ἀγέρ. ὄνος* 44. *ἀγέρ. καὶ πάντα περίεργος* non eandem inesse vim atque apud Homerum (*Τρώων ἀγερώχων* Il. 3, 36, 5, 623 al. *Ροδίων ἀγερ.* 2, 654. *Μυσοί τ' ἀγερωχοι* 10, 430. *Περικλύμενος ἀγερ.* Odyss. 11, 286, ubi homines valde honoratos significat) satis nobis

ostendunt Appuleii verba, qui (lib. IX) interpretatur: „ut importunum atque lascivum“. Propius hoc vocabulum ad recentiorum auctorum aut fabularum quae vocantur Romanensium scriptorum usum accedit. Videas enim thesaur. ling. gr. I. p. 283. B: Sed non temere invenias hanc vocem apud veteres oratores aut historicos: apud recentiores saepe tibi occuret; protervus, insolens; Longus I, 28, Philostr. imag. p. 428.

33. *οἰκτίστῳ θανάτῳ τεθνήξομαι.* Conferas cum Odyss. 11, 412 *ὥς θάνον οἰκτίστῳ θάνατῳ.*

34. *τέλος τῆς συμφορᾶς καὶ θανάτου γενέσθαι.* Saepissime apud Homerum *τέλος θανάτοιο* Il. 3, 309; 5, 553; 9, 416. 11, 451; 16, 855; 22, 361.

45. *πάντες δὲ ἄσβεστον ἐγέλων.* Simillime Homerus Il. 1, 559 et Odyss. 8, 326 *ἄσβεστος δ᾽ ἄρ ἐνῶρτο γέλως* Od. 20, 346 *Ἀθήνη ἄσβεστον γέλω ὦρσεν.*

46. *μελίπηκτα κιρνᾶν.* Huius verbi forma, qua Lucianus uti solet, non est *κιρνᾶν* sed *κεραννύναι.* Itaque infinitivus *κιρνᾶν* ex antiquissimorum poetarum sermone petitus esse videtur, cum saepissime apud eos formae inveniantur, quae ex verbo *κιρνάω* non possunt non derivari. Odyss. *οἶνον ἐκίρνα* 7, 182; 10, 356; 13, 53.

51. *λύχνον ἔκαιε μέγαν τῷ πυρὶ λαμπόμενον* Quibuscum conferas Il. 15, 623. *λαμπόμενος πυρὶ παντόθεν* It. 22, 32. *ὀφθαλμοὶ πυρὶ λάμπετον.*

53. *χρυσῷ ἐσφηκωμένη* Simillimum est illud Homeri Il. 17, 52: *πλοχμοί δ᾽οἳ χρυσῷ τε καὶ ἀργύρῳ ἐσφήκωντο.*

56. *πλέομεν ἔνθεν.* Quis est qui non meminerit Homerum saepissime dixisse: *ἔνθεν δέ προτέρω πλέομεν ἀκαχήμενοι ἦτορ* Od. 9. 62, 105, 565; 10, 133.

In eodem numero habendos esse censeo eos locos, ubi *δίχα* et *δίκην* cum genetivo coniuncta inveniuntur. (cap. 15. *δίχα τῆς φωνῆς* 48 *δίχα τοῦ μανθάνειν* 23 *δίκην Δίρκης.*) Quamquam enim apud Lucianum exemplum habemus huius vocabuli *δίκην* constructionis (Icarom. 20. *δίκην κατόπτρου*) tamen poetis eam tribuere maluerim. —

In his omnibus, quae de libelli oratione a nobis iam dicta sunt, nihil adhuc invenire potui, quo cogeremur, ut asinum librum esse Lucianeum negaremus. Itaque etiam eis paucis, quae in asino inveniuntur, quamquam aut plebeii sermonis speciem prae se ferunt, aut apud posteriores scriptores magis percrebuisse

videntur, mihi persuaderi non poterit, Lucium esse librum subditicium. Etenim non possumus non concedere exceptis eis, quae quomodo in orationem Lucianeam inrupissent, exponere studuimus, nonnulla extare, quae et vetustissimorum scriptorum et ipsius viri Samosatensis consuetudini repugnent. Atque offendimus quidem in hisce locis: capp. 1. et 54 superlativi vis adverbio adposito nimis augetur (1. *φιλαργυρώτατος δεινῶς,* 54. *φιλτάτων λίαν.*) Deinde in capp. 11, 53, 54. locutionibus auctor usus est plebeii sermonis non minus propriis, quam quae in mulionis et praedonis sermonibus inesse iam supra demonstravimus (cap. 11. *τὰ ὄμματα ἐκτείνειν* 53· *κρότος πάσης χειρὸς ἐξήλατο* 54. *ἓν ἐξ ἑνός ἐπιτρέχων.*) Accedit mirus dativi in difiniendo tempore usus (cap. 4. *εἰ πάσαις ταῖς ἡμέραις προσμενῶ*), quem apud Xenophontem Ephesium aliosque scriptores Romanenses invenimus. (*ὀλίγαις ἡμέραις νύμφη γενομένη, ὀλίγῳ συγγενόμενος χρόνῳ*) [1]) Tum *οἷα* pro *ἅτε* cum participio coniunctum legitur in asin cap. 30. *οἷα κάμνων* 34. *οἷα κεκενωμένης τῆς οἰκίας* 42. *οἷα ξένον δοῦλον.* A Luciano semel *οἷα δὴ* coniunctum esse (Scyth. 3.) dicit Guttentag et confirmat, apud posteriores similiter atque in Toxar. 39 — quem subditicium dialogum esse censet — *οἷα* pro *ἅτε* vel *ὡς* participio vel adiectivo additum nonnunquam legi. — Neque silentio praeteribo particulam *ὥστε* in enuntiationibus finalibus positam, quam, etsi a sermonis graeci natura non est aliena, (cf. Krueger. gram. 65, 3, 4.) in Luciani scriptis equidem me legisse non memini.

Quamquam has omnes difffcultates ab alio, qui diligentius de eis disputationem instituat, etsi non defendi, tamen excusari posse suspicor. Sed ut artem grammaticam omittamus, duas res significare mihi liceat, quibus haud scio an a nimia iudicii severitate deterreamur. Quid igitur? Nonne apud Latinos Petronius, qui in morum corruptione depingenda et in rerum lascivitate enarranda ad hunc Luciani libellum nonnunquam accedit, a linguae puritate recessisse putatur propterea, quod ex sermone plebeio aut locutiones satis inusitatas aut verborum compositionem non ita iustam in scripta transtulit? Praeterea exempla, quibus Lucianum ab incorrupta orationis integritate nonnunquam discrepare ostenderim, ad fabulam, quae inscribi-

[1]) Xenoph. Ephes. in scriptorr. erotic. edid. Hercher p. 367, 27; 390, 20.

tur asinus, auctori illi derogandam multum valere nego, cum ea iuvenilis aetatis indicia esse maluerim, qua asinum a Luciano compositum esse arbitror. Itaque oratio mea revocatur ad sententiam comprobandam, quam supra protuli. Eam igitur dixi esse opinionem meam, ut Lucianum libellum, cuius capita nonnulla turpibus foedisque rebus essent referta, ante composuisse existimarem, quam ad constantem aetatem pervenisset. Quae sententia nimis audax etiam mihi videretur esse, nisi aliis rebus mirum in modum confirmaretur. Nam ut causis satis multis, fabulae argumento, narrationis ratione, orationis urbanitate, aliis, permotus sum, ut libellum a Luciano abiudicandum esse negarem: ita multas res proferre possum, quae iuvenile esse opus auctoris Samosatensis significent. Longum est multis verbis iterum explicare, quod iam supra ostendimus, nos temporumordine iuberi fabellam in priorem aetatem scriptoris referre, si eam Lucianeam esse cognoverimus; — iam argumenta proferamus oportet, quibus iuvenilis ingenii vestigia in ipso libello inesse demonstrentur. Ac primum quidem satis patere mihi videtur, Lucianum fabulam, de qua agimus, composuisse priusquam quadraginata annos natus [1]) philosophiae studiis se dedisset. Nam si quis paullulum perspexerit, quomodo Lucianus, ubi primum facultas data est, doctrinam Pythagoreorum, qui animas post mortem ad alios homines sive ad bestias transire credebant, inridendo exagitare et perstringere studeat, certe mirabitur, quod in asino, ubi optima occasio ei sit oblata, ne verbo quidem in Pythagoreos iocetur. Nonne ipsam fabulam, in qua hominis in asini formam mutati fata et fortunae narrantur, auctorem incitare debuisse putas, ut eorum hominum mentionem iniiceret animas in alia corpora migrare dicentium? Quid? quod idem scriptor ipsos Pythagoreos, ut in Gallo aliisque dialogis, inridere est solitus? Idemque legem esse latam apud inferos narrat — quod equidem in illos philosophos dictum esse arbitror —, ut hominum divitum animae post mortem in asinos transirent. Dicit enim in Menipp. 20. *τά μὲν σώματα τῶν πλουσίων κολάζεσθαι καθάπερ καὶ τὰ τῶν ἄλλων πονηρῶν, τὰς δὲ ψυχὰς ἀναπεμφθείσας ἄνω ἐς τὸν βίον καταδύεσθαι ἐς τοὺς ὄνους, ἄχρι ἂν ἐν τῷ τοιούτῳ διαγάγωσι μυριάδας πέντε καὶ εἴκοσι, ὄνοι ἐξ ὄνων γιγνόμενοι καὶ ἀχθοφοροῦντες*

---

[1] cf. bis accus. 32. *τεσσαράκοντα ἔτη γεγονότι.*

καὶ ὑπὸ τῶν πενήτων ἐλαυνόμενοι. — Quamquām eo temeritatis non progrediar, ut his verbis Lucianum fabulam a se antea compositam, quam inscripsit Lucium sive asinum, significasse dicam, id autem vix mihi credibile videtur, auctorem illum, si Pythagoreorum doctrina paullulum imbutus fuisset, consuetudinem suam et studium tam exuisse, quam si illorum placita prorsus ignoraret. Sed cum Lucianum multis annis antequam ad philosophiam se conferret, dicendi arti et studiis rhetoricis operam dedisse sciamus, anquirendum nobis est, quae documenta et vestigia illius studii in asino inveniamus. Et quamquam eandem periodorum formandarum et conectendarum elegantiam, atque in praestantissimis scriptis, in hoc libello non inesse videmus, nonnulla tamen sine dubio nobis occurrunt, quae auctorem in rhetorum praeceptis non plane rudem fuisse ostendant. Nam cum impura et obscoena verba ex luctationibus et exercitationibus gymnasticis petita, quibus Palaestra utitur (cap. 8—9), tum figura non semel usurpata, quae dicitur adnominatio, nos edocent, narrationem non omnibus orationis artificiis carere. (asin. cap. 4. *μάγος καὶ μάχλος.* 14. *ἀπο δύσῃ τὸ κτῆνος, τὸν δὲ ἐραστὴν ἀποδώσεις.* 46. *ἐν φόβῳ καὶ φειδοῖ κλέπτων.* 47. (*ἄϊριστον ἄπιστον*). Quamobrem est verisimile, Lucianum illam fabulam scripsisse, cum in rhetorum scholis versari iam coepisset et artis oratoriae, qua postea maxime florebat, fundamenta iecisset.

Deinde in memoriam revocemus, Lucianum huc illuc vocabula homerica libello inseruisse. Itaque ut est iuvenilis animi formam magis quam virtutem spectare, ita etiam Lucianus, cum asinum conscriberet, dicta exoleta, quibus delectatus est, libello intulit; postea autem, aetate provectior, totas sententias ex poetarum carminibus depromere maluit, quam singula verba. Etenim in alia quoque scripta permulta ab Homero transtulit, sed ita verba mutuatur, ut eorum sententiam cum suis fabulis magis coniungat. In asinum autem vocabula, quae in illo poeta mira et notabilia videbantur esse intulit, tali modo, ut supra demonstravimus, stilum ludicrum et iocularem sectatus. Et quoniam ea, quae a volgari hominum usu et consuetudine recedunt, maxime admiramur, cum primum nobis occurrunt: nonne ea omnia, quae propria sunt sermonis poetici, facilius in iuvenis memoria haesisse censes, cum nondum in intimam, ut ita dicam, Homeri



